




Katt, 29.

# 454







TERTIVM  
ACADEMIAE IENENSIS  
SECVLVM

---

A  
SOCIETATE LATINA  
PIIS VOTIS  
FAVSTISQVE ADCLAMATIONIBVS  
EXCEPTVM

---

EAS COLLEGIT DISPOSVIT ATQVE EDIDIT  
DICTAE SOCIETATIS DIRECTOR  
IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS



---

IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS  
CICIO  
CCCLVIII

TERITUM  
ACCORDINAE ENNEKISI  
S E C U L A R I M

SOCIETATIS LATINA  
SOCIETATIS AD CLAMATIONIBVS  
EXCEPTEA


EXCEPTE DEDICATA ATOAE EDIDIT  
BIBLIOTECÆ SOCIETATIS CLAMATIONIBVS  
OF PONICKAVIANA



THEATRUM  
LITERARUM STRALZIENSIS  
OPOSISSIMUS

A C T O R V M  
A  
S O C I E T A T E L A T I N A  
I N  
S E C V N D I S   A C A D E M I A E   I E N E N S I S  
S E C V L A R I B V S  
H I S T O R I A   S C R I P T A  
A  
S O C I E T A T I S   S E C R E T A R I O  
I O A N N E   C H R I S T O P H O R O   C R A M E R O  
P H I L O S .   I N   A C A D .   I E N E N S .   D O C T O R E

AGTOLYI  
A  
SOCIEITATIS LATINA  
SCANDINAVIAE  
SOCIETATIS SCOTIENSIS  
SOCIETATIS SCOTIENSIS  
HANAE CHIRIATOPHORO GRAMMI  
BELLUS IN AGRI INNIS DECORA



Q  
uo<sup>d</sup> veteri Romae et toti fere anti-  
quitati religioni fuit, sacrorum cu-  
ram, iura, ritus, officia diligenter  
describere, suaque erga deos ac numina pie-  
tatis, monumenta posteritati relinquere, id non  
minus societati latinae post laetas illas inter sa-  
cra secularia academica voces, ipsique, ab aris  
et focis Mineruae nutricis cum laude reuerten-  
ti, fas esse iustumque ac satis idoneum, autu-  
mo. In qua enim nata et adulta societas, vir-  
go honesta et nubilis, eam adeo colit ac demir-  
atur academiam, ut sine huius florentissimo sta-  
tu lucem sibi acerbam, immo tristem ac nullam,



existimet. Itaque, quae debebat genitrici ve-  
nerandae, publica hac scriptione sua consignat  
sollemnia, quorum interpretem excitari me, eo  
magis mihi met ipse gratulor, quo maiora, et  
quo minus merita, in me existare voluit docu-  
menta exoptatae suae benevolentiae. Id sibi  
officii datum censem rerum actarum scriptores  
luculenti, ut caussam et occasionem studiose pri-  
mum exponant, quo constet, quod commenda-  
re et sua velint oratione exprimere, quam fuse  
commemorare hoc loco non audeo, ne omnino  
constitutis in tanta rerum celebritate hominibus  
tenebrarum plus, quam lucis, offundere videar.  
Certe ignarum eum reipublicae doctae, et in  
hac quasi aduenam iudico, qui Ienam, Illustrem  
illam litterarum mercaturam, secularia sua se-  
cundis feris concelebraturam, reliqua omnia  
Germaniae litterarum quasi emporia celeberrima  
in communis laetitiae societatem cooptasse  
et tanquam religionis suae testes conuocasse,  
hoc tempore nesciat. In quam venire non mi-  
nor iure societati latinae licuit, quo plura quo-  
libet anno, die academiae Natali relucente, pro  
huius salute vota concipere curae ipsi cordique

ante-

antehac fuerat. Itaque, quam conuentu anni-  
 uersario renouasset secundorum secularium spem,  
 quemque suarum precum fructum intueretur  
 amplissimum, eius participem esse academia vol-  
 luit. Quare, ut faceret satis suae pietatis offi-  
 cio, neque illa in re sibi ipsa defuisse videre-  
 tur, congregatis sodalibus, primum cogitauit  
 de ritu sollemni atque suorum sacrorum seruan-  
 do ordine. Eam potissimum prouinciam ad  
 se deferri passus est consultissimus et excellen-  
 tissimus ephorus, CAROLVS FRIDERICVS WAL-  
 CHIVS, ut, quae visa essent directori societatis  
 grauissimo atque de ipsa immortaliter merito,  
 IOANNI ERNESTO IMMANVELI WALCHIO, pera-  
 genda sollemnia, sodalium aestimatissimorum  
 suffragiis committeret eorumque, adlecto se-  
 cretario, liberrima de gerendo negotio audiret  
 conferretque consilia. Propter votorum fundo-  
 rorum sanctimoniam tantopere consociatos  
 fuisse illorum animos, coniectu est facile, ut  
 nihil ad adornanda sollemnia reliqui faciendum  
 esse, vna esset cunctorum vox atque consensio.  
 De quibus nondum ferri posset firma et constans  
 sententia, aliquot agendis conuentibus extraor-  
 dinaria



dñiariis ad maturitatem consilii peruenturam  
 esse, fuit opinio. Neque se felliit praestantissi-  
 mos collegas spes, quod enim difficultatis ha-  
 bere res videretur, sapientissimis directoris sui  
 consiliis, eo deductum est, ut, praeter matu-  
 randam et perficiendam sacra latina, nihil haberet  
 Sodales sollicitos. q  
 FACIAM nunc, quod demandari mili nobis-  
 sissimae Societati libuit, eoque ordine de sa-  
 erorum eius adparatu dicere ordiar, quo ipsa  
 ex societatis voluntate decreta atque peracta  
 sunt omnia. Qua in re fidem meam eo mi-  
 nus suspectam et dubiam fore, existimo, quo  
 maiorem aduentantium hospitum ciuiumque  
 multitudinem oculatissimam societas habuit,  
 QVI visum esset societati, in tanta rerum  
 academicarum celebritate sola præsentium col-  
 legarum auctoritate haud quidquam magere, im-  
 mo a grati id abhorrere videretur animi in-  
 dole, aliquos sodales absentes, qui non  
 adeo remoti locorum abhinc interuersis excel-  
 lunt munerum dignitatumque honoribus, ad  
 hunc

hunc actum euocādos humaniterque litteris in-  
 uitandos societatis censuit. Ut nulli quidquam  
 derogaretur honoris, sed quisque societatis pa-  
 tronus ac fautor venerandus vna quasi voce ro-  
 gatus accederet, ut communem, eamdemque  
 sollemnem componerem formulam, qua com-  
 pellarentur viri summi et celeberrimi publico  
 societatis nomine, involuerunt sodales optimi.  
 Tantum abest, ut horum molestas sibi quis pre-  
 ces sodalium duxerit, ut breuissimo, quam fieri  
 potuisset, temporis interposito spatio plenae hu-  
 manitatis et amicitiae redderentur societati a  
 collegis absentibus epistolae, quibus desideratis-  
 simi sui aduentus spem facerent alii, alii propter  
 Martis castrorumque tumultus, siue alia graui-  
 sima sua negotia honeste et perdoneo aterent  
 tur excusationis genere. Plura, quod leges in  
 hoc volumine ipsas epistolulas elegantissimas, ex  
 his delibare, hic supersedeo, tum inveniatur  
 ibi audilshof ap. hoc in O. sc. 17. 17. 17. 17. 17.  
 cum utr. vero non solum foris, sed domi quoque  
 auspicatos quiduis contingere, prima societatis  
 scribendarum litterarum publicarum fuit cura,  
 quibus per illustrium legatorum ex serenissimo-



rum academiae nutritorum aulis Ienam mitten-  
dorum, virorum summe venerabilium, illustrium,  
excellenterissimorum, ab academiis huc amanda-  
torum, comitum illustrissimorum, hospitum ci-  
tiumque exoraretur praesentia honorificentissi-  
ma, per honorifica, honorifica. <sup>q</sup> Precibus soda-  
lium non intermissis, director noster excellen-  
tissimus, ut praeter alias maximi momenti res,  
id quoque negotii in se susciperet, tandem com-  
motus est, eamque, secula duraturam, societatis  
gloriam primus mereri coepit, quam omni sa-  
ne maiorem inuidia ominantur, in quaecuicidit  
cius actas, felicia satis inter tot caedes tempo-  
ra. <sup>q</sup> Et profecto sperandum, fore, ut pia vota  
secundo non careant exitu, utque, si quomodo  
**BELLVM** consul ille romanus populo romano sociis-  
que ac nomini latino, ita PAGEM et sacrum hoc se-  
culare senatus academico, nostrae reipublicae ac so-  
ciis nominis latini bene ac feliciter euenire iubeat  
numen propitium. Qui lecti ex sodalibus ordi-  
nariis ad academiam delegarentur, nobilissimus  
**IOANNES NICOLAVS MOECKER TVS** et frater meus,  
**AVGVSTVS GOTTFRIED CRAMERV**, hanc erant  
nacti prouinciam, ut perillustres serenissimorum  
aca-

academiae nutritorum et magnificos academiarum legatos, prorectorem magnificum, prorectorem magnificum designatum; nec non patrum nostrorum venerandum ordinem societatis nomine salutarent, publicamque hanc obtestandi formam submissis humanissimisque una cum precibus traderent. ad mortuorum commemorationem  
 INDICTIS RITE hoc modo sacris latinis excitaque splendidissima hospitii eruditorum et comilitonum corona die quarto februarii ad ipsa sacra peragenda itum est. Qui chorum ducerent ac salutandi summorum nominum viros et aduenas praeesserent officio, praeter Viros generosissimos; FRID. GVL. OSIAM AB HVYSEN, Waldeccum, et IOANNEM L. B. DE KELLER, equitem Schwarzburgicum, quibus voluntati societas obtemperare placuerat, adsciti quatuor sodales ordinarii, nobilissimi, IOANNES NICOLAVS MOECKERTVS, FRIDER. EPHRAIM WIESINGERVS, Berlinensis, Generosissimus CHRISTIAN. LUDOVICVS DE WARNSTEDT, eques Megapolitanus: praenobilissimus IOANNES CHRISTIAN. FRIDERICVS STOCKIVS, Jenensis, summorum in cartello salutari



lutari honorum candidatus. Hi viri ornatissimi hora post meridiem eiusdem diei prima ex mandatu societatis in aedibus viri summe venerabilis, IOANNIS GEORGII WALCHII, conuenerunt et academia sum legatos, prorectorem magnificum, prorectorem magnificum designatum, comites illustrissimos, illustrem academiæ senatum, societatem teutonicam aliosque eruditione ac fama florentissimo viros, quibus sollempni sacro rex voto societatis interesse placuit, decenti obseruantia exceperunt et quemcunque ad conclave deduxerunt, unde foras procedendum esset. Qui mos inter doctos quoque obtinuit, ut tympanis et tubis significetur accendentium ad nobilissima negotia accessio, ei pariter locum relinquentum esse, putauit societas. Superiori enim aedium walchianarum parte, pulsatis tympanis, si quis salutantium pedem inferret domui, tubis cantum est. Cedit hoc fortasse in viri illustris personam, in luce versantem, ut neque ignoretur eius accessus, si ad condecoranda sacra illustria in publicum prodeat. Quorum paullo ante feci mentionem, viri, generis ac eruditonis nobilitate maxime conspicui, in conclave quum essent

essent ingressi, adposito vino variisque eduliorum generibus, quod quisque vellet, refrigerio usus est. In aliud deducti sodales teutonici erdnarii, a latinis excepti, inter pocula laeti cum his una versati sunt. Haec erant non iniucunda sacrorum latinorum auspicia, ad quae ritu splendidiori in templo academico inchoanda et conficienda hora tandem circiter tertia, impulsis tympanis tubarumque sociato sono, tandem processum est coniunctis paribus. Duxere chorum viri generosissimi, nobilissimique, quibus hanc spartam obtulisset societas, eaque fuit itineris ratio, ut per plateam ioanneam, vias cruciatas, vulgo sic dictas, et forum progressi ad aedem paullinam incessum dirigerent. Non solum hic iterum audiiti e tabulatis astronomicis tympanorum tubarumque sonitus, sed per positos quoque ad templi valvas interiores militum armatorum ordines coetus in aedem se intulit. Tantam hic habuit societas optima, qua circumsepta esset et circumuallata spectantium atque ad bona verba audienda fese cateruatim ingurgitantium multitudinem, ut in summa omnium constituta exspectatione ad latine litandum academie honori et

aeter-



aeternitati admoueretur hominum doctissimo-  
rum frequentia. Subsellia occupantibus serenis-  
simorum academiae nutritorum et academiarum  
legatis perillustribus, summe venerabilibus, illu-  
stribus, excellentissimis, academiae prorectore  
magnifico, prorectore magnifico designato, il-  
lustrissimis comitibus, splendidissimo academiae  
senatu, hospitibusque omnium ordinum conde-  
coratissimis, exedram autem superiorem con-  
scendente excellentissimo societatis directore,  
cantilena latina, ad numeros a nobilissimo IVSTI-  
NO SCHNEGASSO composita, cantari coepit, con-  
cinentibus instrumentorum musicorum generi-  
bus, cantui sollemni adhiberi plerumque solitis.  
Stetit interea grauissimus noster director occupa-  
to loco, dicendique initium, cantu finito, fecit.  
Quam incredibilem omniisque admiratione maio-  
rem laetitiam ore et vultu testata sit illo tempore  
auscultantium corona, quanta, illo dicente, fue-  
rit animorum omnium in audiendo coniunctio,  
quam arrectae aures et intentae rhetori, verba  
facienti, eo minus hoc loco describere satis ad-  
curate sustineo, quo maiori abreptum gaudio me  
ipsum, ab oratoris nostri ore pendente, omni-

no

no memini. Quid? ipse me grauissimo adstrin-  
 gerem scelere, si, quam volo laudare, facundiæ  
 parem me posse putarem adferre ornatum et ele-  
 gantiam. Certe ipsum hoc, paratum ab excel-  
 lentissimo viro societatis honori opus quidissimos  
 sui lectores habebit tot, quot audientium spem  
 et exspectationem omnem superauit longissime.  
 Quare qui cupiunt dicendi argumentum hic le-  
 gere, ad ipsum placet dimittere laudum societa-  
 tis et ipsius academie documentum perenne et  
 locupletissimum. Postquam declamasset vir ex-  
 cellentissimus, in publicum conspectum prodiit  
 atque inferiorem exedram ornauit vir illustris ac  
 generosissimus, ADOLPHVS CHRISTIANVS ERNE-  
 STVS AB VFFEL, eques misnicus, sodalis noster  
 de laude societatis eximie meritus, ad hunc ve-  
 ro actum cunctis suffragiis electus et designatus  
 poeta. Neque in hoc, quod ad gloriam perpe-  
 tuam comparandam pertinere pūtarent sodales,  
 ne quodammodo quidem desiderari potuit. Quod  
 fuderat cārmen seculare felici conatu, recitauit  
 ita, vt, quotquot adessent, tot quoque haberet au-  
 ditores, in se dēfixos et delinitos carminis suauitate  
 mirifica. Hoc dicto, latine decantantium et instru-  
 men-



mentorum musicorum concentus audientium de-  
mulxit aures, ut omne laeto ac fausto hac ratione  
incepta pariter atque ad finem perducta videren-  
tur latina sacra sollemnia. Itaque eodem incessu  
et ordine, quo itum erat ad aras, ab his redditum  
est, choroque reduce, et effusa e templo multi-  
tudine, pulsatis tympanis, sacra finita esse atque a  
publico cultu Quirites ad Lares reuertere, tuba  
cecinit. Utque inde discessus, ita, ubi plateam  
ioanneam coetus attigerat, in aedibus walchia-  
nis signum aduentus dedere tubicines, quod  
repetitum posthac, si singuli, missa choro, do-  
mum reuerterentur. Eaque fuit huius diei reli-  
gio, quam vertat benignissimum numen in sa-  
lutem academie patriaeque perpetuam, ut, de-  
fluente seculo salanae tertio, longe vberior,  
par saltim exstet posteritati laetandi materia.

Superest, ut dicam quoque de reliquo societatis in otiosis secularibus adparatu, non minus decoro, quam splendido. Est vero musis sollempne, laborum molestiam compensare quodammodo quieto quodam oblectamentorum genere, quod non opprimat animi vim, tamen refi-

reficiat et acuat vere, peractis laboribus, ingenii aciem. Quum enim nihil sit in mortalium genere, quod non aliquando attritum et labefactatum sentiat naturae corruptionem, neque videatur indignum viro sapiente, indulgere interdum honesto otio, refectisque animi viribus redire ad grauiora negotia; aliquid dandum esse hoc tempore genio, rata societas, altero die conuiuari et ludicros ignes nocturnos edere constituit. Quo turpius est, comissionibus diem consumere, perdere verius, eo magis ab his abstinenter esse, fuit sententia. Quare, laetius quidem et opipare, non tamen immoderate effuseque, epulas instrui, decretum est. Sique sanctae antiquitati visum haudquaquam indignum, publica auctoritate recumbere, si quid simile conaretur, leuiorem culpam sibi contractum iri, arbitrata est societas. Itaque decenti more inuitatis magnifico academie prorectori et quibusdam ex patrum academie conscriptorum ordine sodalibus honorariis, longe spectatissimis, ad prandium accedere placuit. Non minus sodalium quorumdam honoriorum, hospitum, fuit ornamento praesentia, vt pote qua nihil sibi fore

opta-



optabilius, ut supra memoriae prodidimus, litteris  
testata esset societas. Nomina collegarum praesentium, in vrbe degentium, simul infra ex vtroque  
ordine dabimus. Prandium adparatum fuit in  
ipsis excellentissimi directoris aedibus, cuius ho-  
spitalitatem egregiam societas nunquam satis lau-  
dare potest. Licet enim nullus sociorum sibi  
molestum duxisset, erogare sumitus, debitos lati-  
no consortio, adeo tamen leuare voluit aerarii  
liberalitate sua inopiam, ut nollet quidquam sum-  
tuum necessiorum deficere. Statim post meri-  
diem confessum tractumque est inter ciborum  
potuumque delicias conuiuali sermone ad vespe-  
ram vsque conuiuium. Si quid recte laudatum  
a priscis hominibus deprehendimus, tum demum  
humanam vitam agere se putasse, si ita viuerent  
ac conuiuarentur, ut tempus, bene collocatum,  
esset in reditu, vere his laudi dicitur. Quam-  
uis enim atomi epicurei sane non volitent inter  
pocula, tamen lepidos et vtilissimos sermones  
conuiuas spargere, ipsum hoc esse videtur lepi-  
dum et maxime vtile.

QVM hoc modo delectati essent sodales ho-  
nestissimo conuiuii genere, die in occasum praeci-  
piti, id actum, ut, confluente et vndique iam  
aduolante spectatorum multitudine, illuminaren-  
tur excellentissimi directoris aedes, quas specta-  
tum in domum e regione sitam se conferrent  
conuiuae laudatissimi. Eo magis sollemne socie-  
tati id habitum, quo minus desunt veterum do-  
cumenta, quae idem testantur antiquitati sacrum  
et frequens spectaculum.

NON

NON iniucundum puto lectoribus, ea ex penū  
 IOANN. BAPTISTAE PASSERII hoc loco deprome-  
 re, quae attulit ad confirmandum hoc argumen-  
 tum ex priscis scriptorib[us], et ea adiicere, quae  
 a prima rem repetere videntur origine. Quum  
 incidit laudatus auctor in praestantissimo *lucerna-*  
*rum fictilium opere* a) in lucernas festiuas, formam  
 idoneam et aptam suo usui curatiūs describere,  
 ideoque veterum auctoritatem consulere debuit.  
 Neque desiderauit iusta diligentiae praemia, sed  
 antiquam et certam inter legendum huius rei si-  
 dem animaduertere potuit. Sane iam Ciceronis  
 aetate in laetitiae atque honoris signum *vias cre-*  
*bris lampadibus atque facibus collustratas esse*, lucu-  
 lenter PLVTARCHVS memoriae prodidit b). Ne-  
 que dissimilem morem obseruat Suetonius, vt  
 pote qui, Caesarem ascendisse capitolium ad lu-  
 mina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra  
 lychnuchos gestantibus, diserte commemorat c).  
 Ad quem locum verba habet CASAVBONVS, quae,  
 quia huc pertinent, yolo adponere d). *Vetus*,  
 inquit, mos Romae fuit, bene meritis de republica  
 viris honoris sui causa permittere, vt cum aliqua in-  
 usitata pompa, quoties foris coenassent, domum redi-  
 rent. Sic Cornificius ob rem bene gestam bello Siculo,  
 quoties domi non coenaret, elephanto vehens domum  
 redire solitus. Sic Caesarem, ait Dio, post epulum  
 triumphale cum insigni hoc honore vespere domum ve-  
 nisse. Ut vero Suetonius rem narrat, lumina haec fu-  
 blici

a) tom. I. p. 20.

c) in Iul. Caef. cap. 37. p. 41.  
ed. IO. SCHILDII.

b) in Cicerone p. 871. ed. francof.

d) in notis ad hunc SUE-  
TONII locum.



blici gaudii sunt indicium. Antiquissimi enim moris fuit, siue priuatim, siue publice laeti aliquid obtigisset, luminibus accensis appensisque gaudium testari: estque eius λυχνεοτάς apud graecos ac latinos scriptores cereberrima mentio. Refert hoc quoque DIONYS. CASSII locum, ubi Seuerum tota urbe coronata et lumine plena, in hanc venisse commemorat e), itemque illud SVETONII de Domitiano, quod, virorum pariter ac seminarum pugnas noctibus ad lycnos edidisse imperatorem, testimonio est f). Posteriori adcommodatoria forte vindentur ad rem nostram effata, quae ianuarum et arborum lucernatarum mentionem iniiciunt. Ita TERTULLIANVS, elatissimis et clarissimis lucernis vestibula obnubilata fuisse, meminit g), idemque procedit, inquit b), mulier de ianua lucernata et laureata. Arborem autem memorat ATHENAEVS exstisisse in curia tarentina, a Dionysio iuniore dedicatam, cui loco pomorum tot lampades essent, quot aequando dierum anni numero sufficerent i). Eiusdem mentionem facit MARTIALIS his verbis k):

Quan-

e) bistor. rom. libr. 74. p. 839.  
ed. 10. LEVNCLAVII, cuius  
verba excerpta a 10. XIPHLI-  
LINO haec sunt: ἦ τε γὰρ  
πόλις πᾶσα ἀγθεσὶ τε κοι-  
δέφναις εἵσεφάνωστο, οὐδὲ ίμα-  
γίοις ποικίλοις ἐκενόσημο, Φιο-  
γί τε κοιδυνιάστων ἔλαυτη,  
vibz tota floribus et lauricis coro-  
nata ornataque variis vestibus,  
luminibus et suffimentis plena ex-

splenduit.

f) in Domit. cap. 4. p. 778.

g) in apolog. cap. 35. p. 303.  
edit. HAVERCAMPY.

h) quem locum narratum  
vide ab ipso PASSERIO loc.  
excit.

i) deipnosoph. libr. x.v. cap.  
19. p. 700.

k) libr. x. epigr. 6. p. 682.  
edit. RADERI.

Quando erit illa dies, quo campus, et arbor, et omnis  
Lucebit Latia culta fenestra nuru?

Et PRUDENTIVS l):

*Et quae fumificas arbor vittata lucernas  
Seruabat, cedit ultrici succisa bipenni.*

Haec habet PASSERIVS. Nos longe antiquorem hunc morem statuimus, de quo breuiter adhuc nostram exponemus sententiam. Primum lucernarum usum sollemnem in sacris vetustissimarum adeo gentium ac ciuitatum quaerendum esse, valde videtur probabile. Ignem sane, diuina religione a maioribus cultum, sub persona *Vestae* latuisse, nemini incognitum est. oVIDIVS distincte hoc ita tradit m):

*Nec tu aliter Vestam quam viuam intellige flammam.  
Quomodo igitur mirum alicui videri poterit, si,  
quod videmus egregie obseruatum a priscis reli-  
gionum inuentoribus, illud potissimum seque-  
rentur cultus diuini genus, quod naturae ignis  
idonea satis offerret cultori symbola? Quae vero  
alia haec forte credideris, ac faces et lumina?  
Aeternus profecto ignis ille, a Vestalibus in Ve-  
stae templis nutritus summa religione, id lucu-  
lenter videtur innuere. Lucernas adpositas, apud  
Patrenses, Vestae simulacro narrat PAVSANIAS.  
Κεῖται δέ, inquit n), πρὸς Τὰ ἀγνόλυκας, Ἐσία λίθοις,  
καὶ αὐτῆς μολύβδῳ δὲ πρὸς Τὴν Ἐσίαν προσέχοντες λύ-  
χοι χαλκοῖ, ante Mercurii signum *Vesta*, et ipsa mar-  
morea: adpositae ei sunt plumbō ferruminatae aeneae*

) ( 3 ) ( lucer-

l) in symach, libr. ii. vers. n) in achaic sive libr. vii.  
1609. sq. cap. 22 pag. 579. edit. KUHN II.

m) fastor. libr. vi. v. 291.



*lucernulae.* Sed taceo Vestam. In sacello Eumenidum celebrem fuisse apud Graecos lampadum vsum, testis est AESCHYLVS o):

Σπονδαὶ δέ εἰς τὸ πᾶν ἔνδαιδες οἴκων.

*Liberationesque aedium in perpetuum cum lampadibus sint.*

Quae sane, religioni datum a veteribus, lumina offerre diis atque inter sacra in ipsa versari luce, certum efficiunt. Quidni igitur lucernarum et lampadum vsum a sacris ad sollempnia profana negotia traductum esse, veri putetur simile? Citius id forte credideris, si ipsa species lumina atque incendia technica, quia colorum, quorum noctu demum aliqui multo lucidius exsplendescerent, pone adfixis luminibus, antiquis temporibus longe praecellentior fuit ars atque scientia. De coloribus igneis, flammeis, sanguineis, croceis, ostrinis aliisque, et horum discriminibus, facete disputat noctium atticarum auctor p), ut plane rem eum tangere arbitrer, qui in primam illuminationum originem hac ratione velit inquirere. Si recentiorem aetatem consulas, lampadum adeo diem Cereri dicatum esse, auctorem habes FVLGENTIVM, qui, *banc etiam*, inquit q), *mater cum lampadibus raptam quaerere dicitur*, unde et lampadum dies Cereris dicatus est: illa videlicet ratione, quod hoc tempore cum lampadibus, id est cum solis feruore, seges ad metendum cum gaudio requiratur.

o) *Eumen.* v. 1047.

p) *libr.* II. *cap.* 26.

q) *mytholog.* *libr.* I. *cap.* 10.  
*ton.* II. *mythographor.* *latinor.*  
p. 42.

tur. Sed plura in eam rem commentari a scribendi abhorret consilio. Quare reuertar ad id, vnde paullulum deflexit oratio.

Quod sacra sua sollemnia academiae saluti et honori consecrasset societas latina, id maxime cogitatum est, ut, quae boni ominis caussa suscipientur, fausta quaevis significant tertii academiae seculi auspicia. Quae ut rite caperentur, ipsorum adeo originum academicarum et praeteriti temporis feliciter defluentis fuit habenda ratio, cui iuncta temporis praesentis felicitas ad futurum aperiret viam quasi et aditum. Itaque eo ordine lumina scite disposita sunt, ut fenestrae aedium superiores, portam ioanneam spectantes, praeteritorum, praesentium mediae, inferiores futurorum imagines contemplanti obiicerent. Rei opportunitatem attulit ipsa aedium conditio, utpote quae, media parte in exedram prouectae, eminentiori loco praesentia, quorum cura tangit adprime humanum animum, inspectanda porrigent. Nullius autem temporis simplex adparebat significatio, sed, illustratis duobus fenestrarum ordinibus, superior rem opusque Salanae laetum exhibuit, ex quo fausta inferior academiae visus portendere. Ita fenestra tabulati superioris a porta ioanea prima serenissimi et diui principis, IOANNIS FRIDERICI, academiae conditoris munificentissimi, imaginem obtulit, quam in arae erectam sustineret DEA RELIGIO, cui adstanti aediculae imminerent verba micantia:

TE RELIGIO FVNDAVIT.

Fenestra, quae hunc subiecta est, ARAM habuit,  
in



in qua accensus ignis facer tractu flamarum in  
nubes euanuit. Quod emblema, inscriptum:

SIC ERIS DEO GRATA,  
propter fundatoris sui pietatem ac diuinam con-  
stantiam academiae natalitia deo accepta et auspi-  
catissima semper fore, posteritati nunciaret felici  
omine. In superiori altera simulacrum PACIS  
locum obtinuit, cui florem et tranquilla debebat  
academia sacra sua secularia, pro quo singulari  
diuino munere neque hic deo significare grates  
intermissum est. Elogium pacis hoc fuit:

TE PAX SERVAVIT.

Quod magis etiam explicare videretur subditum  
huic, inferiori fenestra, symbolum, quod SACEL-  
LVM ob oculos sisteret, a superiori parte tectum  
projecto clypeo, spondente securitatem ab ho-  
stium impetu, quorum, quodam interposito spa-  
tio, turbae profligatae et in fugam coniectae con-  
spicerentur addita επιρρεψη:

SIC ERIS TVTA.

Media aedificii parte, qua exedra eminet, su-  
periori fenestra serenissimi ducis terrarum vinarien-  
sium et isenacens. rectoris academiae magnificen-  
tissimi, ERNESTI AVGUSTI CONSTAN-  
TINI, nomen, litterarum initialium ductibus  
comprehensum, effulsit, imposito diademate va-  
rioque cinctum circum circa graphicò opere.  
Emicuit augustum nomen, subiecta in vicem ful-  
cri stylobata, in qua scriptum esset ετεοστιχον:

S V B T A N T O

P R I N C I P E

A C A D E M I A

F L O R E T.

A E D E M

AEDEM referebat inferior, quatuor fultam columnis, quarum quaevis gestaret diadema loco capituli et quodam quatuor serenissimorum academiae nutritorum sancto et inuiolabili nomine consignata splendesceret, supra adscripto *crono-difstico*:

INCONCVSSA NITES AVGVSTIS FVLTA CO-LVMNIS:

SAECVLA NVRICII, TV IENA! LAETA  
VOVE.

Quae sunt ab vtroque exedrae latere interiori fenestrae quatuor ornatu festiuo et architectonico renitebant, vt ingressis in plateam ioanneam siue e porta siue e viis cruciatis offusus splendor nuditatem rei indiceret. Ea fuit exedrae dignitas, quae constituta media aedium pars faustum et felix illud nomen omenque habuit, quod tanquam salanae academiae palladium circumdare et custodire viderentur reliquae adparatae imagines. Fulgentia ex altera exedrae parte lumina ita locata fuere, vt fenestra superioris contignationis ab exedra prima MINERVAM, nubibus velatam et insidentem exprimeret, cui suum infra subiectum templum exsplenduit, adpicto encomio:

TE MINERVA EXTVLIT.

Quamuis a praesentibus ad praeterita videatur datus hoc loco redditus, tamen Mineruam, suam protectricem et laudum suarum omnium temporum nunciam, academiam venerari et religiose colere, neminem negaturum esse, existimo. Ita-

que  
)(5



que licuit per pulchre praeteritis atque praesentibus ea adiungere, quae quasi vna annorum omnium compage continua arcto copulata sunt inter se vinculo. Pendentes hoc loco spectantium oculos fixit emblema inferius, quod, aestuante et spumante oceano, NAVEM delatam ad portum, in tranquillitate constitutam, cum addita epigraphie :

SIC ERIS MYSIS PERFUGIVM

sibiiceret visui. Quam enim pollicetur Minerua musis securitatem, eam inter tot imminentia Martis pericula Lenae hanc praestituram esse, fuit non dubium tunc, nunc sane confirmatum sperato euentu laetissimo. Feneстра tandem ab ea parte superiori altera VIRGO conspecta est, quae tubi visorii obiectu vallem, atque in hac TRIV<sup>M</sup>-PHANTEM LENAM seruaret oculo, augurio interprete :

TE POSTERI COLENT.

Quod quam praesagiret academiae perpetuitatem fenestra subiacente declaratum est. In hac enim AETERNITAS, regio exornata amictu, regalia manu et capite gestauit insignia. Quamque inter sidera caput extolleret, in profundum quasi prospectans pendentem sub se terrae globum intueri visa est, voto comite:

SIC ERIS AETERNA.

HAEC erat rerum atque imaginum varietas, quae detineret ingentem spectantium multitudinem

nem. Hespites et Sodales aestumatissimi e conducto ad id tempus conclavi spectauere sibi obiecta lumina, vbi et cocto fabarum exoticarum potu, et magis in septentrionem vergente vespera, coena quoque, ne mora sine Baccho et Cere recontemplanda rei satietatem pareret, oblectati sunt. Tantum tamen absfuit, vt hac saporum dulcedine ad detinendos et demulcendos animos opus esse videretur, vt potius propter spectaculi variam et distinctam pulchritudinem sodales pariter ac spectatores facile admodum mora falleret. Neque tamen haec sola fuere commorandi suadelae et inuitamenta. Quamprimum domus ardere visa, tubicines in summo aedium collustratarum tabulato constituti, impulsis tympanis resectisque alternis cantibus, rupere interiecta silentia. Et ita consummata fuit haec quoque huius diei simulque totius sacri latini sollemnitas, cuius ad secula transmitto, nunquam intermorituram, memoriam. Grati hœsane sui in academiam nutricem animi monimentum societas existare voluit, quod quoque, si quid fortasse sit, in quo non plane suum aequarit debitum, facilem parabit ipsi neglecti officiū veniam. Sed ita cumulata est laudibus, vt deprecatorem magis quam laudatorem ad posteritatē delegari me cupiam. Certe habuit yberrimos conatum fructus, aut, quod aequē dixero vere, tanta his partae benevolentiae documenta, quanta voto expetere licuit. Ut nouos videlicet admiraretur laborum suorum patronos, quosdam generis et personae excellentia elatos in honorum fastigia viros, litterarum Maecenates et fautores,

in



in collegium cooptare decreuerat. Quod adeo votis consequuta est, ut, qui creati essent consilio libero collegae societatis honorarii, precibus et voluntati sodalium satis omnino facerent. Dederunt autem, submissa rogati obseruantia, societati splendida sua nomina:

Vir perillustris atque excellentissimus, ANDREAS SAMSON A BIECHLING, Sereniss. duci Meinungensi a consiliis intimis, rel.

Vir perillustris atque excellentissimus, FRIDERICVS AB HENDRICH, Sereniss. Saxo-Vinariensis ducis sacri senatus superioris praeses alter; et a consiliis regiminis intimis.

Vir perillustris atque excellentissimus, GOTFR. NONNIVS, I. V. D. Sereniss. Saxo-Vinariensi. duci a consiliis intimis et aerarii Vinariensis director.

Vir perill. atque excell. IO. POPPO GREINER, Sereniss. Saxo-Vinar. duci a consiliis intimis.

Vir perillustris et experientissimus, CAROLVS FRIDERICVS KALTSCHMIED, philosophiae et medicinae, doctor, sereniss. ducis Saxo-Vinariensis et Isenacensis consiliarius intimus cameral. sereniss. March. Brandenburgico - Culmbacensis et sereniss. Landgr. Hasso - Darmstad. Consil. aulicus et medicus, anatom. Chirurg. et Botanices Prof. publ. ordinar. Comes palatin. caesareus, acad. imper. natur. curiosorum collega, acad. elect. Mogunt. scientiarum vtil. adfessor, physicus prou. Ienens. facult. medicae senior.

Vir magnificus et summe reuerendus SIGISMUNDVS BASCHIVS, sanctior. discipl. doctor et sacrorum in aula, vrbe et ducatu Vinariensi antistes.

Vir

**Vir celeberrimus ANGELVS MARIA BANDINIVS,**  
bibliothecarius Florentinus.

Reliquum est, ut hospitum et sodalium adhuc fiat mentio, qui suo conuentu atque praesentia adeptam a maioribus gloriam in dies amplificant, et quorum potissimum voluntate et opera sacra latina instituta atque peracta sunt. E quibus ipse primo loco nominandus est director societatis grauissimus, vir excellentissimus, IO. ERNESTVS IMM  
MANVEL WALCHIVS, philos. doctor log. et metaph. professor ordinarius, societatum romanae arcadicae et florentinae columbariae collega, cuius immortalis seruabitur apud posteros maximorum in societatem latinam meritorum memoria. Profitentur liberalitatem ac benevolentiam fautoris sui exoptatissimi sodales, vtque, ipso dirigente et administrante latinam rempublicam, diutissime societas floreat, vota concipiunt sincero pectori. Non minus ephori sui, Viri excellentissimi et consultissimi FRIDERICI CAROLI WALCHII, I. V. D. et professoris publici, scabinorum collegii adfessoris et societatis florentinae columbariae collegae praedicant in se summam humanitatem et summa studia; cui bene ominetur D. O. M. laetissimaque in posterum etiam virtutis commodet praemia.

Sequuntur SODALES tam HONORARI:

Vir summe reuerendus ac magnificus, IO. GEORG.  
WALCHIVS, sanctioris disciplinae doctor et profes-  
sor primarius: serenissim. Saxoniae ducum et marg-  
grauii Brandenburg. Onoldini a consiliis sacris, ci-  
uium Meiningensium, Gothanorum, Altenburgen-  
sium et Onoldinorum inspector, sui ordinis et acade-  
miae Ienensis senior.

Vir



Vir illustris atque excellentissimus, CHRIST. GOTTL.  
BVDERVS, iurum doctor, iuris publici et feudalis  
ac historiarum professor ordinarius, serenissimorum  
Saxoniae ducum a consiliis aulae, collegii iuriscon-  
sultorum senior in academia Ienensi.

Vir illustris atque excellentissimus, IO. CHRISTIAN.  
STOCKIVS, philos. et artis salutaris doctor, medi-  
cinae theoreticae professor ordinarius sereniss. Saxo-Vi-  
nar. duci a consiliis aulicis, academiae naturae cu-  
riosorum collega.

Vir excellentissimus atque celeberrimus, SIGISMUND.  
LEBRECHT. HADELICHIVS, linguar. orientalium  
in acad. Erford. professor publicus extraord. acad. ele-  
ctoral. Moguntinae scient. vtilium ab epistolis.

Vir excellentissimus et celeberrimus, IO. WUNDER-  
LICHIVS, iurum doctor et professor publicus.

Vir summe reuerendus atque amplissimus, EHRE GOTT  
NICOLAVS BAGGE, sanctior. discipl. doctor, senat.  
saci Ienens. adseffor, facultat. philosoph. adjunct. ad  
aed. Ioann. primus et ad aed. Mich. quartus verb. di-  
uin. minister societat. teuton. sodalis ordinarius.

Vir illustris atque generosissimus, CAROL. GERARD.  
DE KETELHODT, eques megapolitanus et schwarz-  
burgicus iuris vtriusque doctor, sereniss. principis  
Schwarzburg. regiminis adseffor et societatis teutoni-  
cae Ienensis sodalis honorarius.

Vir consultissimus, CAROL. AVG. TITELIVS, iuris  
vtriusque doctor.

Vir praecellentissimus atque amplissimus, IO. GOTTFR.  
MUELERVS, philosophiae ac liberalium artium ma-  
gister et bibliothecae academ. Ienens. praefectus, so-  
cieta-

cietatum latinae ienens. senior, teutonicar. regiae  
gottingens. itemque ienensis sodalis.

Vir praecellentissimus atque amplissimus, IO. GOTTL.  
WALDINVS, philosophiae doctor et facultatis philo-  
sophicae adiunctus.

Vir praecellentissimus atque amplissimus, IO. FRICKIVS,  
philosoph. magister et gymnasii vinariensis corrector.

Quam ORDINARIJ, viri generosissimi, nobilissimi  
doctissimique :

AVG. GOTTFR. CRAMERVS, Schmonensis Thuring.  
CHRIST. ADOLPHVS TROEBSTIVS, Vinariensis.

CHRISTIAN. GVIL. SCHNEIDERVS, Vinariensis.  
ERNEST. SAM. CHRIST. RVDORFIUS, Vinariensis.

IO. GOTTWALT NEVBERTVS, Borkslebia-Schwarzburg.  
IO. GOTTWALT HENNIGIVS, Gera-Variscus.

IO. NICOL. MOECKERTVS, Schwarzburgicus.  
IO. CHRIST. BERTHIVS, Roemhildensis.

FRID. EMAN. WIESINGERVS, Berolinensis.  
IO. ADAMVS EMMRICH, Salzunga-Meinungensis.

CAROL. BENIAM. ACOLVTH, Dresdenensis.  
IO. CHRISTIAN. HOIERVS, Vinariensis.

IO. CASPAR. HOIERVS, Vinariensis.  
CHRISTIAN. LVDOVIC. DE WARNSTAEDT, eques  
megapolitanus.

ADOLPH. CHRIST. ERN. AB VFFEL, eques misnicus.  
IO. CASPAR. STEPFIVS, Suinfurtensis.

IO. PHILIPP. SAEZERVS, Isenacensis.  
IO. CHRISTIAN. GVIL. RVDORFIUS, Isenacensis.

IVSTI-



- IVSTINVS SCHNEEGASS, Gothanus.  
 IO. CHRIST. WVNDRVS, Vinariensis.  
 IO. FRIDERIC. WVNDRVS, Vinariensis.  
 IO. CHRIST. FRID. STOCKIVS, Ienensis, medicinae doctorandus.  
 IN. ERNEST. ROMANNVS, Durlacensis.  
 IO. ERHARD. GVIL. DIETZIUS, Durlacensis.  
 CHRISTOPH. FRID. LVDWIG, Geranus.  
 TO. CHRISTOPH. HOFMANNVS, Schwarzburgicus.

Tandem debitas societati illustri pro demandato  
scribendi munere et pro suo in me studio ipse per-  
soluo gratias summas et publicas, utque mihi perget  
fauere, enixe obsecro.



VOTA

VOTA SECVLARIA  
PRO  
ACADEMIA IENENSI  
SOLLEMNI RITV NVNCVPANDA  
INDICIT  
SOCIETAS LATINA



QVVM Romae P. Sulpicius Galba, bellum Philippo, Macedonum regi, indicendum esse, ratus, eam rem ad senatum retulisset, is, LIVIO a) teste, decreuisse, dicitur, *vt consules maioribus hostiis rem diuinam facerent, cum precatione ea: QVAM*  
REM SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DE REPUBLICA DEQVE INEVNDO NOVO BELLO IN ANIMO HABERET, EA RES VTI POPVLO ROMANO SOCIISQVE AC NOMINI LATINO BENE AC FELICITER EVENIRET. Facto hoc senatusconsulto reque diuina rite peracta, consul, conuocata concione, populum, vt, quae patres ea de re censuerint, iuberet, adhortaturus, huius, inquit, *vobis sententiae non consul*

a) libr. XXXI. cap. 5. tom. III. p. 514. ed. DRAKENBORCHII.

ful modo auctor est ; sed etiam dii immortales, qui  
 mibi sacrificanti precantique, ut hoc bellum mi-  
 hi, senatvi vobisque et sociis ac nomi-  
 ni latino, classibus exercitibusque no-  
 stris bene ac feliciter eveniret, laeta  
 prosperaque omnia portendere. b) Solebant nempe ro-  
 mani, in rebus praesertim magnis et difficilioribus, hi-  
 hil facile sine sacrificiis fuscipere deorumque suorum vo-  
 luntatem et mentem aruspicum ope explorare, additis  
 simul precandi formulis : QVOD BENE VORTAT REI-  
 PVBLICAE, QVOD DII BENE VORTANT, FORTV-  
 NENT, SECUNDENT, QVOD BONVM, FAVSTVM,  
 FELIX REIPUBLICAE SIT, et quae alia erant eius-  
 modi votorum sollempnium genera. c) In his vstatibus  
 precandi formulis principem fere ea obtinebat locum,  
 qua senatum romanum eo tempore, quum de bello Ma-  
 cedonico ageretur, vsum esse, legimus : vt ea res  
 BENE AC FELICITER EVENIRET. CICERO enim,  
 eam se comitiis centuriatis, quibus L. Muraenam con-  
 sulem renuntiauerit, more institutoque maiorum vfur-  
 passe, non solum testatur ; sed eamdem quoque sol-  
 lempnem comitiorum preicationem esse, dicit, quae tan-  
 tam in se habeat vim, quantam reipublicae dignitas  
 postularet. d) Idem confirmat PLINIVS, apud quem

A 2

TRA-

b) libro memorato, apud LI-  
VIVM, cap. 7. p. 5'9.

c) conf. BARNAB. BRIS-  
SONIVS de formulis solennib.  
pop. rom. libr. I. p. 6o. edit.  
CONRADI.

d) quae precatus sum a diis  
immortalibus more institutoque

maiorum illo die, quo auspicato  
 comitiis centuriatis L. Muraenam  
 consulem renuntiaui, ut ea res  
 mibi magistratique meo populo  
 plebique romanae bene atque fe-  
 liciter eveniret, eadem precor ab  
 iisdem diis immortalibus cet. et  
 paullo post : quod si illa sollem-  
 nis

el-  
 in-  
 ad  
 te-  
 les  
 fa-  
 AM  
 E-  
 IN  
 A-  
 AC  
 tolto  
 ne,  
 ret,  
 on-  
 ful

II.



TRAIANVS imperator hanc, comitiis pariter ac quibus-  
cunque rerum bene gerendarum auspiciis consecratam,  
formulam adhibet, *candidatosque nominaturus*, deos  
precatur, vt *ordinatio comitiorum BENE AC FELI-*  
*CITER EVENIRET* senatui, reipublicae et ipsi impe-  
ratori. e) Neque vero desunt alia in priscis scriptori-  
bus exempla, quae formulae huius in comitiis, in sa-  
cris; aut si quid pro reipublicae salute agendum erat,  
frequentem vsum satis et abunde demonstrant. Apud  
LIVIVM f) Metellus, postquam multa contra censorum  
morosam seueritatem grauiter dixerat, hos adfatus,  
*quod in omnibus fere, inquit, precationibus nuncupa-*  
*bitis verbis: VT EARES MIHI COLLEGAEQUE*  
*MEO BENE ET FELICITER EVENIAT, id ita, vt*  
*vere, vt ex animo velitis euenire.* Quum Carthagi-  
niensibus bellum inferendum esset, latum more con-  
sueto ad populum: *vellent, iuberent, populo cartha-*  
*ginensi bellum indici*, habitaque dein belli caussa sup-  
plicatione per vrbum, adorati dii, *vt BENE AC FE-*  
*LICITER EVENIAT, quod bellum populus romanus*  
*iussisset. g)* Quum porro contra Perseum, Macedo-  
num regem, bellum Romae adpararetur, priusquam  
hoc

*nis comitiorum precatio, confu-*  
*laribus auspiciis consecrata, tan-*  
*tam habet in se vim et religio-*  
*nem, quantum reipublicae digni-*  
*tas postulat, idem ego sum pre-*  
*catus, cet. orat. pro Muraena*  
*cap. 1. tom. II, part. II, eius*  
*orationum, p. 5. ed. GRAEVII.*

e) nam quod precatus es, vt  
illa ipsa ordinatio comitiorum  
BENE AC FELICITER E-

VENIRET NOBIS, REIPU-  
BLICA E, TIBI, nonne tale est,  
vt nos hunc ordinem votorum  
conuertere debeamus, panegyri-  
co, cap. LXXII. p. 356. ed.  
SCHWARZII.

f) libr. XXXX. cap. 46. tom.  
V. p. 527.

g) legatur LIVIVS libr. XXI.  
cap. 17. tom. III. p. 380.

hoc fieret, consulibus designatis P. Licinio Craffo et  
 C. Cassio Longino id negotium dedit senatus, ut, quo  
 die magistratum iniissent, hostiis maioribus rite macta-  
 tis, precarentur, *vt, quod bellum populus romanus in*  
*animo haberet gerere, VT ID PROSPERVM EVENI-*  
*RET.* b) Non necesse esse, videtur, plura ea de re te-  
 stimonia, ab aliis iam, nominatim a BARNABA BRIS-  
 SONIO i) collecta, hic in medium adferre. Addidisse  
 se sufficiat vnicum ex *orationis ad Caesarem de republi-*  
*ca ordinanda AVCTORE, k)* quem plerique *SALLV-*  
*STIVM*, alii alium faciunt. Ceterum, ait is, *deos im-*  
*mortales obtestor, vti, quocumque modo ages, EARES*  
*TIBI REIQVE PVBLICAE PROSPERE EVENIAT.*  
 Atque eamdem hanc sollemnem precationis formulam,  
 quam bellum Philippicum ineundum esset, non senatus  
 solum consulibus, sacra facturis, praescribit; sed etiam,  
 quam postea populus bellum id iussisset, supplica-  
 tione a consulibus in triduum indicta, dii circa omnia  
 puluinaria obsecrati sunt, *quod bellum cum Philippo*  
*populus iussisset, ID BENE AC FELICITER EVENI-*  
*RET, VT LIVIVS l)* disertis verbis refert.

FIT igitur Romae eo tempore ex senatus decreto  
 sollemnis illa ac maxime religiosa precatio, ut arduum  
 hoc negotium non solum senatui et ciuibus; sed etiam

A 3 SO-

PETRONIO cap. LXXVII.  
proferuntur.

k) tom. II. operum SALLV-  
STII p. 204. ed. HAVER-  
CAMPY.

l) libr. XXXI. cap. 8. tom.  
IIII. p. 520.



SOCIIS AC NOMINI LATINO bene ac feliciter eueniat. Nemini potest; aut debet esse incognitum, veteris Latii incolas, in societatem cum romanis adscitos, ab his multa egregia iura ac priuilegia obtinuisse *m)* inque sociis reliquis, tam exteris; quam italicis, omnium praestantissimos ac nobilissimos habitos *n)* ac modo SOCIO<sup>S</sup> LATI<sup>N</sup>O<sup>S</sup>, modo SOCIO<sup>S</sup> LATI<sup>N</sup>I NOMI<sup>N</sup>IS: item SOCIO<sup>S</sup> NOMENQUE LATI<sup>N</sup>V<sup>M</sup>; aut SOCIO<sup>S</sup> AB NOMINE LATINO fuisse nuncupatos. *o)* De horum sociorum salute romani tempore huius ineundi belli tanto magis erant solliciti; quo illustrioribus documentis non solum antea; sed etiam tunc fidem eorum perspexerant, et quo exploratius esse, videbatur, maximam sociorum horum felicitatis partem a reipublicae romanae incolumentate et prospero rerum eius statu esse exspectandam. Neque vero non ipsi socii, quam arcto vinculo cum reipublicae flore salus eorum coniuncta esset, agnouere eamque in rem nullum facile studiū officiique erga romanos genus desiderari in se, passi sunt; sed publice gratam pro tot tantisque in se collatis beneficiis mentem sunt testati. Patet id cum ex prisca fide dignissimis scriptoribus; tum ex permultis,

**A PETRO MARCELLINO CORRADINO ET IOSEPHO ROCCO**

*m)* legatur, praeter ceteros,  
CAROLVS SIGONIVS de antiquo iure ciu. rom. libr. I. cap.  
2. p. 473.

*n)* vid. MANVTIVS de ciuitate rom. tom. I. thes. ant. rom.  
GRAEVII, p. 20. de ipsis vero  
Latii populis, eorum historia et  
fatis PETRVS MARCELLI-  
NVS CORRADINVS et IO-

SEPHVS ROCCVS VVL-  
PIVS, opere, quod *vetus Latium*  
profanum et sacrum inscriptum,  
x. tomis Romae ab anno  
CICIO CCIII. vsque ad an-  
num CICIO CCXXXV. in  
lucem publicam prodiit.

*o)* conferantur SIGONIVS  
et MANVTIVS, locis mode  
memoratis.

ROCCO VULPIO p) congestis, litteratis lapidibus, qui egregia honoris monumenta, a latinis sociis tam reipublicae, consulibus, praetoribus; quam imperatoribus, aliisque praeclare meritis viris et patronis statuta, ad posteros detulere. Idem factum est non solum ab aliis Italiae et prouinciarum ciuitatibus, q) quando se intelligebant beneficiis ornatas a republica; sed etiam ab iis Latinorum et exterorum societatibus, quae, numinis colendi gratia, coire olim; aut alias ob caussas congregatae se solebant, et quales fuere CVLTORES HERCVLIS apud GRVTERVM r) et FABRETTVM s) CVLTORES LOVIS ARKANI apud MVRATORIVM: t) CVLTORES BONAE DEAE apud eundem: u) CVLTORES IVNONIS in oppido quodam Latii, *Lauro-Lauinium* dicto, apud REINESIVM x) et in codice

A 4

Theo-

p) *opere laudato.*

q) in eiusmodi monumentis, a sociis latinis pariter, ac aliis honoris caussa positis, frequentes sunt formulae: OB MERITA apud GRVTERVM p. CCCCCXVIII 5. CCCCCXXII. 3. MVRATORIVM CIOIII. 3. CIOCVIII. 2. 3. CIOCVIII. 4. CIOCXVI. 6. OB INSIGNEM EIVS BENEVOLENTIAM apud GRVTERVM CIO LXXXIX. 3. OB EXIMIVM IN MUNICIPIES SVOS AMOREM apud eundem p. CCCCLIII. 8. OB INSIGNIA EIVS GESTA p. CCCCLX. 4. OB INSIGNIA

BENEFICIA p. CCCLVII. s.

OB AMOREM EIVS ERGA SINGVLOS VNIVERSOS QVE p. CCCLXXXVIII. 3. OB MERITA ET AMOREM, QVEM ERGA ORDINEM ET CIVES EXHIBET, apud MVRATORIVM p. MCVII. 1. OB INSIGNIA VNIVERSOS COLLATA BENEFICIA, apud eundem p. CIOXXI. 1.

r) p. CCCXV. 7.

s) *inscript. domest.* p. CCCXXVIII.

t) p. CLXXXI. 7.

u) pag. ead. num. 9.

x) *Syntagn. inscript.* p. 687.



*Theodosiano, y) quo hi Iunonis cultores societatis nomine insigniuntur, et cum HERCVLIS CVLTORIBVS, qui Herculi, vti alii apud FABRETTVM z) Siluano, decuriatim sacra fecere, comparantur. Ab his diuersi erant socii monimenti cuiusdam communis, quorum meminit inscriptio GRVTERIANA a) eosque gratos se erga curatorem suum praebuisse, perhibet OB PIVM OFFICIVM INDVSTRIAM ERGA SOCIOS.*

TERTIVM aetatis suae florentissimae seculum optimis, vt omnes boni confidunt, auspiciis breui adtinget ACADEMIA IENENSIS, optima illa ingeniorum nostrorum mater. Videtis iam, OPTIMI CIVES, splendidum et operosum sollemnium secularium adparatum meritoque vos laetamini, vestrum academicae vitae curriculum in ea incidisse tempora, quae in tanto armorum strepitu tot festiuae adclamationes: tot effusae et exsultantis laetitiae monumenta: tot religiosae et nunquam antea a VOBIS visae caerimoniae ad ultimam posteritatis memoriam nobilitabunt. Audiuitis visitam illam veteris Latii et rerum maximarum auspiciis adstrictam formulam. Hanc suam auspicatissimo isto tempore facit ACADEMIAE NVMINI DEVOTA SOCIETAS LATINA ac more institutoque maiorum precatur x VTI HOC SACRVM SECVLARE SENATVI ACADEMICO NOSTRAE REIPUBLICAE AC SOCIIS NOMINIS LATINI BENE AC FELICITER EVENIAT. Audiuitis sociorum latinorum magnam erga rempublicam fidem ac pietatem gratique eorum pro

y) leg. 46. de curs. publ. z) inscript. domesticis, p. imperator. Val. Theod. Arc. COSS. ccccccxxxviii.

a) p. iolxxxiii. 15.

\* \* \*


pro collatis in se beneficiis animi documenta contemplati estis. Piam hanc ac laudabilem consuetudinem imitabitur **LATINA SOCIETAS**, quae, quod honoris et dignitatis accessiones ex huius academiae flore fecisse se, videt, tot certe, easque sanctissimas, in ea colenda iamdudum sibi indixit leges. Sacris igitur, quae propediem academia peraget, secularibus pia vota adiungeret nostra societas et laetissimum hunc diem votiuis plausibus et, quibuscumque potest, gaudii et summae erga beneficam suam matrem obseruantiae signis excipiet. Ut vero omnia auspicato fiant, director noster **IO. ERNESTVS IMMANUEL WALCHIVS**, oratoris prouinciam imponi sibi passus, societatis nomine vota pro academia ciuiumque salute follemni ritu nuncupabit simulque *summam academiae Ienensis gloriam ex tristioribus eius fatis publice demonstrabit.* Oratione finita, surget vir illustris ac generosissimus **ADOLPHVS CHRISTIANVS ERNESTVS AB VFFEL**, eques Misnicus, sodalis noster nobis coniunctissimus, ac seculari carmine praeteritum seculum obsignabit, futurum firmabit veterumque Quiritum more ad exposendum voto, ad commendandum precatione follemni vretur. Exposcet pro hac musarum sede **AVREVM SECVLVM**: commendabit eam dei optimi maximi curae ac prouidentiae, ne vnquam litterata haec respublica, quae per bina secula floruit, detrimenti quid capiat. Sacra haec secularia ad d. **1111**, februar. hora **11**, pomeridiana in templo academico celerabuntur, quibus ut serenissimorum Saxoniae ducum et rectoris academiae magnificentissimi legati perillustres, academiarum delegati magnifici, magnificus academiae prorector, eiusdem magnificus prorector designatus, illustrissimi comites,

A 5

vene-



venerandi patres conscripti, societas teutonica amplissima, hospites omnium ordinum honoratissimi ac com-militones generosissimi nobilissimique frequentes interesse: praesentia sua honorificentissima festum hunc diem splendidiorem efficere ac vtrique votorum societatis interpreti audiendi studium et suffragandi voluntatem comprobare velint, sodales omnes enixe optant ac ea, qua decet, ratione precantur. Ienae d. **xxviii.**  
**ianuar.** anni secularis **cicccc** l*viii*



**ORATIO**

is-  
m-  
er-  
nc  
ie-  
n-  
ac  
l.

ORATIO  
**S E C V L A R I S**

HABITA

A SOCIETATIS DIRECTORE

**IO. ERN. IMMAN. WALCHIO**



## OITAKO



BENE ac sapienter maiores nostri, AVDITORES, statuerunt, aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nasci haud raro solere inque aduersissimis rebus occultam numinis vim tam luculenter tamque manifesto fese prodere, vt in ipso acerbissimo calamitatis publicae sensu publicae futurae felicitatis praesensio et certissimum quoddam salutis augurium saepe latere videatur. Verissime haec dicta esse, quod gentis, quod vrbis; quam nostrae academie, exemplum hac tam exoptata luce magis confirmat? Et quando; aut vbi fuerat conuenientius, hanc diuinae prouidentiae legem in memoriam vestram reducere; quam hoc laetissimo die, de quo non inuidi modo; sed et amici dubitarunt, inter tot imminentes procellas ac tempestates VOBIS, PATRES CONSCRIPTI, VOBIS, OPTIMI CIVES, laetum ac serenum posse illucescere? Illuxit tamen, PRAESTANTISSIMI AVDITORES, illuxit non sine futuro omnium gaudio hoc cunctorum votis diu expectatum sidus, illuxit nobis tam beneficium tamque salutare, vt, vtrum splendidissimum eius fulgorem; an prouidam numinis de eo curam magis admirer, ipse me nescire, lubentissime fatear. Quam si mecum reproto, si pa-

si patriam nostram et adiacentes vrbes ac regiones, ve-  
 lut in communi quodam theatro, ob oculos mihi fisto,  
 si subitas atque improuisas in finitimiis prouinciis terum  
 vicissitudines mente circumspicio omnes, miracula pro-  
 fecto hodie ostendis, BEATISSIMA ACADEMIA.  
 Adeste mihi, o CIVES, et miramini mecum vrbem et  
 academiam, in mediis calamitatum fluctibus saluam at-  
 que incolumem: in extremo prouinciarum discrimine  
 tutam: in summis, quibus vndiquaque circumfusa est,  
 periculis laetam ac tranquillam. Quocunque enim in-  
 cidunt oculi, vbiique fere circumstant, quae vel auda-  
 cem frangere fulgentissimumque rhetoris os confundere  
 debeant ac deterre; in te contra, ACADEMIA, in-  
 tento ac defixo laetissima omnia fese mihi offerunt, vt  
 vix se capiat animus: vix ferendae laetitiae par esse vi-  
 deatur. Illinc Mars impius, caudem anhelans et fu-  
 rens, ad cruentissima mortis spectacula inuitat: hic  
 musarum alumni ad aras et templa, ad suauissimas pa-  
 cis artes vocantur: illinc clamor castrensis omnium cir-  
 cumsonat aures et classicum palpitantem ciuis animum  
 nouo pauore percudit, hic festiva hilaritas et sumtuosus  
 nouae et numquam antea visae caerimoniae adparatus  
 mentes recreare omnes et spiritu solito maiori animare  
 videtur: illinc lamentantium et morientium suspiria,  
 hic adclamantium et congratulantium voces audiuntur:  
 illinc flumina largo occisorum cruore tepent et campi,  
 caedibus contecti, sanguinem humanum, vt aquas, hau-  
 riunt, hic plateae, vici, fora pietatis feruent calore:  
 illinc furor bellicus diruit aedes, tuguriis relictis, stant  
 incolae derelicti, tormentorum fulgura et fragores omnia  
 miscent, tremit terra, exalbescunt ciues metu, cadunt  
 oculi, vultus, verba, conticescunt omnia ob minacem  
 et truculentam Martis frontem, ob furialem dimican-  
 tiuum



tium strepitum, hic tuta omnia et tranquilla : vigent litterarum studia : salua est inter arma, velut altera De-  
lus, \* academia : inter regum et principum meditatio-  
nes campestres hoc ancile non mouetur : nullam vim,  
nullam manum violentam et sacrilegam hoc timet  
palladium.

DEI hoc opus, hoc munus est, PRAESTANTIS-  
SIMI AUDITORES. Huius numine maria, terrae,  
pax, bella reguntur : huius nutu extabescunt robora  
corporum, dilabuntur vires animorum : huius imperio  
dissipata quoque est atrox et saeva illa tempesta, quae  
te nuper, sacra tua sollemnia paraturam, OPTIMA  
ACADEMIA, adoriri videbatur. Quanta profecto,  
quanta secundioris tuae fortunae fiducia esse potest, si  
deum ipsum res tuas tam prouide, tam sapienter mode-  
rari, si tuis eum sacris et religiosae caerimoniae fauere,  
si tibi sua ope, suo auxilio tam praefementem eum ac ma-  
nifestum cognoscis, quam caelum ac sidera insidet.  
Macte, macte, ACADEMIA, hac tua diuinitus tibi  
data felicitate, macte eadem, quae et tua est, PRAE-  
STANTISSIMA SOCIETAS. Et iure quidem merito-  
que in hoc communis gaudii consortium venisse te  
omnibus bonis, et qui tibi bene cupiunt, videberis. Si  
enim tuam quaeris salutem, vnde maius et firmius tibi  
praesidium ; quam ex hoc musarum templo, erit exspe-  
ctandum ? Si parentibus fausta quaevis precari, fas  
esse, ducis, quidni pro hac academia, pro tua, inquam,  
tam

\* Vide CICERONEM libr. I. in Verrem, cap. 18. tom. I. eius orationum, part. 2. p. 453. edit. GRAEVII, coll. orat. pro lege Manil. cap. 18. Adde ill. EZECH. SPANHEMIUM de usu et praest. numism. diff. VIII. p. 639. sq.

tam benefica matre, in cuius sinu fouveris et crescis,  
 vota certatim nuncupares? Si aequum est, vt eos co-  
 lamus, a quibus beneficiis nos auctos intelligimus, cui  
 religiosiorem grati animi sponsonem debes; quam huic  
 reipublicae litterariae, optime de Te meritae? Si re-  
 rum primordiis certissima de futuris omina inesse solent,  
 vnde verius felicitatis tuae augurium: vnde meliora re-  
 rum bene gerendarum auspicia petes; quam ex hoc sa-  
 crato musarum campo? Si ipsam denique tuam laudem  
 ex gloria: tuum florem ex incolumitate huius acade-  
 miae, vti fas est, metiris, quid ad futuram commen-  
 dationem opportunius: quid ad famam certius: quid  
 ad prosperrimum rerum tuarum statum tutius accidere  
 tibi potuit; quam, quod fatorum indulgentia conces-  
 sum nobis omnibus est, auspicatissimum sacrorum secu-  
 liarium tempus? Perfice nunc coepta sacra, académiae  
 huius numini deuota **SOCIETAS**, et ita perfice, vt,  
 quum nemo in hac vrbe inueniatur, cuius oculis non  
 laetissimum sit, faustissimae huius lucis, magnae huius  
 festiuitatis conspectu impleri, eamdem tibi mentem deum  
 benignissimum dedisse, cognitum fiat ac manifestum.  
 Perfice sacra tua et ita perfice, vt, quum venerit ali-  
 quando tempus, quo posteri visere visendaque tradere  
 minoribus suis haec sollemnia gestient, académiae gra-  
 tulaturi, alternis quasi votis tibi simul gratulentur:  
 matrī, quod accepisse, filiae, quod dedisse visa sit tot sol-  
 lemnia summae reuerentiae ac intensissimi gaudii pigno-  
 ra. Perfice sacra tua et ita perfice, vt, si faustissimas  
 vniuersae ciuitatis et vniuersi pene litterati coetus adcla-  
 mationes legerint futura secula, his et tua, id est pie-  
 tatis, voce subscriptum esse, videant. Vtinam vero,  
 mihi, votorum tuorum interpreti, digna te, digna **V O-**  
**BIS, AUDITORES**, contingere oratio. Vtinam tan-  
 ta



ta mihi esset dicendi vis, quantam huius diei célébritas: huius splendidissimi congressus dignitas: huius academiae laudum amplitudo eiusque meritorum copia iure quodam suo postulant. Imperata quidem faciam; laborabo autem, vt, si minus vestrae, AVDITORES, de me exspectationi satisfecero, quantum orationi splendoris facundiae inopia detraxisse; tantum certe commendationis pio rectoque dicentis animo eidem accessisse videatur luculenterque adpareat, quae ego dixi, haec me non simulationi; sed veritati; quod vero dixerim, hoc non arrogantiae; sed tuae voluntati, PRAESTANTISSIMA SOCIETAS, vnice me dedisse. Verum quid ego dicam? Celebrabo hodie academiae nostrae laudes? Extollam multis verbis eius in litteras a duobus seculis maxima et immortalia mérita? Nae, qui haec digne satis et, vt par est, praedicare vellet, hunc magnaе esse confidentiae, oporteret, si conaretur: facundiae, si posset.

E QVIDEM non mihi modo; sed omnibus hodie enitendum reor, ne quid de academia nostra ita dicant, vt idem illud de omnibus aliis dici simul ac praedicari potuisse, videatur. Habent academiae commune quoddam laudis argumentum. Monstrant viros clarissimos, magna reipublicae litteratae lumina, quibus illustratas se ac nobilitatas, mirifice, nec sine causa, glorianter. Praedicant sua in litteras merita et, quanta ea sint, quam late sese per omnes diuinæ ac humanae sapientiae partes diffundant, operose, neque immerito, ostendunt. Laudant fortunæ secundioris, qua a longissimo tempore usq[ue]a sint, constantiam, et qui cuique honores, quae dignitatis accessiones, quot ornamenta omni aetate contigerint, solent exponere. Verum, ex ipsis calamitatibus

ratibus summae laudis documenta capere : tristiora fata,  
 tamquam totidem firmissima publicae felicitatis praesidia  
 numerare : ex infestis casibus inuidendam paene didu-  
 cere gloriam : in his absconditam aliquam e caelo di-  
 missam vim, academie salutarem, reperire, hoc pro-  
 fecto tibi soli, nescio, an, praeter te, ulli, PRAE-  
 STANTISSIMA ACADEMIA, contigisse, videtur. Mi-  
 rum hoc VOBIS erit, OPTIMI AUDITORES,  
 vtramque fortunam in hac vrbe congregari : aduersam in  
 academie nostrae salute tuenda et conseruanda secun-  
 dioris vires eiusque in illam fauorem ac vigilantiam ex-  
 periri. Itaque rogo vos et precor, vt me, de hoc ar-  
 gumento, DE SVMMA, inquam, ACADEMIAE IE-  
 NENSIS EX TRISTIORIBVS EIVS FATIS GLORIA  
 dicentem, attente ac beneuole audiatis. Si magna for-  
 tuna hoc habet, vt nihil tectum occultumque ferat : si  
 intimos recessus recludit omnes : si etiam aduersa fa-  
 mae noscenda proponit, nihil profecto academie no-  
 strae erit admodicatus ; quam penitus inspici: poste-  
 risque in eius calamitatibus contemplandam sisti : ni-  
 hil vobis aeque ac mihi erit optatius ; quam, si quid  
 aduersi passam eam cognoueritis, hoc ipso eius laudi-  
 bus materiem campumque praesterni.

QVOCVNQVE mentem et oculos circumfero, AV-  
 DITORES, siue tempora, quibus academia nostra pri-  
 mam adspexit lucem ; siue recens eam natam et in cu-  
 nis quasi adhuc vagientem ; siue adultam mihi propo-  
 nam, nouum quasi videre mihi video campum, quot  
 prouidentiae diuinae vestigiis ; tot certe perennibus,  
 quibus diu iam consecrata est, gloriae monumentis si-  
 gnatum. Vix purior de rebus diuinis doctrina emer-  
 gere : vix salutare hoc lumen spissas illas nubes, quibus  
 christianus terrarum orbis offusus velut in sempiterna

B

aliqua



aliqua nocte per multa secula iacuit, dispellere cooperat, quum hostes cateruatim et magno cum impetu vndique que irruerent et, vel noui solis fulgore excaecati; vel intempestiu furore abrepti, caelum quasi petere vide rentur. Ex hac parte miscere visi et turbare omnia: illinc simulato pacis et amicitiae studio alios fallere: hinc sanctissimum religionis nostrae templum armata manu adoriri, illinc clandestinas parare insidias: hinc incautos fraudibus, illinc metu timidos a recta via abducere: hinc vi et ferro minitari: illinc callidis artibus animos delinire et illitos cibis hamos, opertos preda laqueos, obiicere. Res prospere ipsis et ex voto cef fit, summumque fuit periculum, ne sideris nostri, vix adparentis, lux in suo quasi ortu saeva et atroci tempestate penitus interciperetur. Ne quid deesset ad magnam hanc et deplorandam sacrae reipublicae calamitatem, ii ipsi, qui veritati locum dederant, grauissime inter se dissidebant, et, quorum causa in summum iam discrimen fuerat adducta, inter hos, fato quodam, acerbissimae lites excitabantur. Quid vero magis sanctioris coetus exitium poterat portendere; quam intestinum hoc et domesticum malum, quod, velut pertinacissima tabes, vires, iam satis eneruatas, magis magisque debilitabat? Ita vero alia clades aliam sequebatur, aliud post aliud letale vulnus infligebatur sanctissimae nostrae religioni, et duo quasi fulmina, foris alterum, alterum intus, hoc sacrarium videbantur percellere. Hominum quidem iudicio inopinatum hoc et minus opportunum erat tempus condenda huius academie; sed a deo sapientissime praestitum, ut ex praesentissimo in tantis periculis et paene mirabili auxilio liqueret, cui deberetur hoc opus et in ipso opere opificis innotesceret manus.

AT

AT forte IOANNES FRIDERICVS, beatissimus  
academiae nostrae conditor, tantum opibus, armis, po-  
tentia valuit, vt arduum hoc opus adgredi, vim hostium  
repellere et, quod temporum infelicitas denegabat, sua  
ope, sua auctoritate perficere posset. Forte per hunc  
fortissimum principem tutari se ac conseruare musae ac  
religio nostra potuerunt. Per FRIDERICVM? Deum  
immortalem! An ignoratis, AUDITORES, si vel  
aliquam nobis suspiciofissima illa tempora in sanctissi-  
mae fidei nostrae defensore reliquissent salutis spem;  
omnem tamen, quantacunque fuerit, cum fatali illa,  
quam probe nostis, pugna euanuisse? Vidisti tu, Muhl-  
berga, vidisti nostrum heroem pro aris et focis, pro  
liberis, pro ciuibus, pro patria, pro nostra religione  
strenue ac fortiter pugnantem; sed vidisti eum simul  
non tam hostium virtute; quam amicorum insidiis ac  
persidia succumbentem. Pugnatur acriter, vincitur,  
eheu! optimus FRIDERICVS: copiae eius fugantur:  
ipse venit in hostium potestatem: exiit armis: nobilis-  
simo in facie vulnere decoratus in custodiam rapitur:  
priuatur septemuiratus honoribus: condemnatur ab im-  
peratore ad mortem.

IAM omnis spes, si qua remanserat, IO. FRIDE-  
RICO amissio, penitus amittebatur. Lugebat exerci-  
tus: moerebant ciues: squalebat coetus, religionis  
caussa foederatus: afflictabantur musae. FRIDERI-  
CO enim abrepto, fortissimus militiae dux: beneficus  
princeps: strenuus purioris doctrinae defensor ac vin-  
dex, et alter Hercules Musageta desiderabatur. Iam  
nullum litteris perfugium: nullum libertati praesidium,  
hoc propugnaculo conuulso ac diruto, superesse vide-  
batur. Lata iam erat et optimo principi promulgata



feralis capitinis sententia ; inter ipsas tamen meditationes mortis, in hac grauissima futurorum contemplatione, qua caelestis anima ad instans illud mortalibus difficultimum iter se praeparabat, eo tempore, quo ipse in hostium suorum erat potestate, quo omnia ad perniciem adeo erant profligata ac perdita, ut nostris ne hiscere quidem liceret, hoc, inquam, tempore 10. F R I D E R I C V S, victus, inclusus, ad mortem condemnatus, academiam hanc meditatur, academiam, quae esset non musarum solum ; sed etiam purioris sacrorum doctrinae domicilium : academiam, quae emendati diuini cultus placita firmaret : academiam, quae contra ipsos triumphantes hostes eius religionis veritatem tutaretur, pro qua terras suas et fortunas, dignitates et honores, immo ipsam adeo libertatem amiserat. Condere hanc litterarum officinam cogitat, conditur : studet repurgato supremi numinis cultui templum hic dedicare, dedicatur : arcem, vnde religionis nostrae veritas defendatur, inexpugnabilem exstruere, exstruitur.

O B S T V P E S C I T I S hic, video, AVDITORES. Et quis non videt, quum viderit, quis non stupet, quis non miratur diuinae prouidentiae, academiam hanc ex nihilo, vt magnam illam rerum yniuersitatem, produdentis, clarissima vestigia ? Quam sapienter hic secundioris fortunae semina tot calamitatum specie : tot simulacris iniquioris fortunae occultauit prouidum numen ? Res Lutheranorum adficta : caussa desperata : princeps, vnica salutis spes, captus et obseßus : ablata mitissimo seni suorum seruandorum potestas : ereptum omne purioris doctrinae defendendae praesidium : interclusum et obstructum omne, quo tuto pedem figere liceret, perfugium. At dei erat hoc opus, dei consilium,



filium, dei, non hominum, vires. Hic sine armis ap-  
mauerat principem, vt suae aetati miraculum, posteris  
exemplum rarissimae fortitudinis praeberet. In ipsis  
vinculis inuictus heros vinci se, haud patitur : in capti-  
uitate libertatis nostrae iacit fundamenta et, quod non  
minus hominem se ; quam hominibus praeesse, didi-  
cerat, ne tot calamitatum procellis humani quid pate-  
retur, iniquae fortunae ludibria tam fortiter spernere,  
dicit, vt ipsam fortunae inconstantiam constantia su-  
peraret. Multum sane, quod tantum opus suscepit,  
plus, quod perseuerauit, maximum, quod non timuit,  
ne perseuerare non posset. Hoc erat vere fortem esse,  
illa contemnere, quibus fortissimi quique succubuerunt  
eos vincere, qui triumpharunt et triumphare de iis, qui  
vicerunt. Adeo non custodia, quam purpura fastidit ;  
sed in custodia inuictum mentis robur, constantia et  
ceterae regales virtutes principem ostentabant. Talem  
esse oportuit, quem non occulta potestas fatorum,  
non gloriae, non opum cupiditas ; sed religio, pietas,  
intensissimus litterarum amor et tandem exoratum nu-  
men dedissent, huius academie conditorem, vt hoc  
illustri exemplo discerent mortales, differre inter acade-  
miam, quam deus, et quam homines fecissenr, &, si  
adhuc dubium esset, forte casuque musis officinas para-  
ri, hanc, liqueret, diuinitus constitutam.

B O N E deus, quam suave, quam iucundum nobis  
est, vbique te in toto hoc opere praesentem videre,  
tuamque infinitam vim in primo statim academie huius  
ortu experiri. Quot manifesta praesentiae tuae signa ;  
quot ex his summae, qua academia nostra superbit,  
gloriae argumenta ! Contemplari enim libet sapientiam  
diuinam, vbi ea manifestius hostium elusit calliditatem;



quam quum Fridericum ad hanc academiam condendam excitaret? Potentiam diuinam considerare libeat, per quam luculenter in tanto hoc negotio deus noster monstrauit, se sqmnam fremitum hostilem vel solo nutu compescere: quum hostes de interitu cogitent, se vitam: quum de pernicie, salutem: quum de clade, victoriam, etiam si per cladem, dare posse, temereque eos fecisse, qui arma tulissent contra eum, pro quo ipse pugnaret. Libeat gratiam diuinam expendere, ecquod illustrius vñquam maiorum nostrorum aetas specimen vidit; quam hanc ingeniorum palaestram, primam academiam lutheranam, tutissimum omnium, qui puriorem religionem profitebantur, portum: quod maius virtutis praemium. FRIDERICO eadem gratia diuina simul potuit decernere; quam ipsum hunc musarum campum? Dat, donat, dedicat FRIDERICVS deo optimo maximo hoc sapientiae diuinae ac humanae domicilium: reddit FRIDERICO deus idem, tamquam aeternae laudis monumentum, tamquam mausoleum, titulis omnibus speciosius, quod a fulmine non tangi; aut temporum diurnitate comminui potest: in quod nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus, nihil furenti hosti licet. O miram rerum vicissitudinem! Eo tempore, quo Friderici gloria maxime periclitari videbatur, eius nomen aeternitatis peplo intexitur. Ii ipsi, qui vicerant, victimum Fridericum, cernunt, annales omnes suis victoriis, qui aspernati fuerant, ora omnium suis laudibus, qui contemserant, orbem terrarum sui admiratione implere. Inexpectatum hoc profecto et inopinatum fuit principis, ad mortem condemnati, ad immortalitatem iter. Agite, cives, gratulemini de FRIDERICO academiae nostrae: extollite FRIDERICVM propter

ETCUP

propter

propter academiam. Nihil est gloriiosius huic bonarum artium emporio ; quam documentum diuinae sapientiae, potentiae, gratiae esse : nihil honorificentius ; quam aeternae tanti principis laudis monumentum vocari.

IOANNES FRIDERICVS, sideribus illatus, filiis academiam, academiae filios reliquerat, eo ipso carus nobis et desiderandus augustus senex, quod prospexerat, ne ipse desideraretur, nihil sibi a deo datum esse, ratu, quod non esset academiae ; nec, quod acceperat, ad litterarum salutem redderet. Ecquod vero praestantius religionis nostrae ac musarum futurae incolumentis pignus dare poterat beatissimus parens ; quam tres filios, per vestigia paterna sic incedentes, ut virtutum ordo nihil ; praeter personam, mutasse, videtur ? Nefas quippe optimus princeps putabat, sanctum hoc et pium erga academiam officium vni demandare, quod in omnes senescentis patris prima se se iuuentus peraeque transfuderat : quod in omnium ore caelestem eius vultum natura signauerat. Itaque non poterat non omnes pari affectu paterno amplecti, largamque illam, ienensibus musis beneficiendi, materiem, velut optimam hereditatem indiuisam relinquare. Volebat nempe, ut, Saxonico sanguine, hoc est, insito, litteras ornandi, studio per omnes aequre diffuso, omnes quoque tanto sanguine, tanta familia digni essent ; hoc vero non fieri posse, arbitrabatur ; nisi omnes aeternitatem nominis per glorioissima in musarum campis facta : per immortalia in hanc litterarum sedem merita adsequerentur. Quam iucundum vero nobis est, hunc Saxoniae heroium ad immortalitatem cursum intueri ? Pater dat signum, praefert facem et huic gloriae stadio



vestigia sua mirabili plane exemplo imprimit: filii, quod tanti parentis erant, digni, qui parentes musarum essent, strenue sequuntur, ut sanguinis; sic et huius ad aeternam laudem itineris socii ac dulcissimi comites. Ita sapientissime ordinauerat deus proprius, ut, a quorum sobole futura musarum nostrorum penderet salus, expressam post se Musagetae effigiem relinquenter, ut posteri eorum, academiae nostrae tutelaria numina, in magnis genitoribus, in longa imaginum serie, viuum heroicae virtutis haberent exemplar.

HORVM principum auspiciis consecrandum erat et inaugurandum hoc sanctissimae nostrae religionis et musarum sacrarium. Mirum profecto, si tunc academia sibi dissimilis, si ipsi ex nouis calamitatibus noua laurea parta haud fuisse. Occulto quasi fatorum ordine praeclarri huius operis initio finis debebat respondere. Quot igitur impedimenta eidem inchoando, tot perficiendo vndiquaque se se offerebant, praemonente quasi iteratis vicibus fortuna, quidquid pro academiae salute firmando stabiliendaque suscipiatur, huius eo optatiorem fore exitum, quo periculostiores in persequendo superandi viderentur scopuli: quo plures optimae caussae inuidorum odiis obiicerentur difficultates. Tot certe impedimenta, in aula imperatoris caussae nostrae illata: tot hostium machinae, tam callide excogitatae; quam insidiose per integrum fere decennium tractatae\*: tot falla-

\* a tempore nimirum gymnasii, hic conditi, vsque ad academie inaugurationem, sive ab anno CXXXXXVIII. vsque ad an. CXXXXLVI. Digna est, quae hic legatur,

elegantissima clar. I. V. D. G. VIL.  
BALLHORNII oratio de Iena.  
litterarum sede ante conditam  
ibi academiam, Ienae,  
CXXXXCLIII.

fallacie, quibus academiae iura, a Caesare Augusto impetranda, vel impedire, vel certe retardare malevolorum turba studuit: tot, inquam, calamitates, quae a vobis, AUDITORES, quo alio spectarunt; quam ut tanto maior nobis contingeret victoriae gloria: ut desiderium, videnda primae academiae lutheranae, apud omnes purioris doctrinae amatores tanto vehementius, laetitia post tot iniqua fata tanto effusior: vota denique ipsa pro perpetua eius salute tanto ardentiora redderentur? Sic maris caelique temperiem turbines tempestatesque commendare debebant: sic ipsis atri dies summa cum academiae laude conditi esse, videbantur. Quam iuuat, spectare academiae gloriam, post tot procellas longe lateque sese diffundentem, instar rapidi fluminis, quod coercitum ac cohibitum, ruptis vinculis, maxima vi sese effundit, obstantia quaueis conuellit, et late patentes irrigat campos. Itaque FRIDERICVS noster post mortem victorias protraxit, et quum non animus, non potentia; sed tempus vincendi moribundo decesset, inaudito fere exemplo, ipsum quasi tempus vicit et vitae finem, non victoriarum fecit; sed in filiis post mortem triumphauit. Haec nostrae, CIVES, academiae vera et paene inuidenda gloria.

SED alio me numerosa tua, FELICISSIMA ACADEMIA, fata, numerosae tuae ex his laudes vocant. Vidistis, AUDITORES, academiam, in mediis calamitatum fluctibus natam: in iisdem, quae summa illius laus est, conseruatam eam videamus. Recordamini priorum post eius incunabula temporum, quam tristia, quam suspiciosa ea fuerunt? Vix, profligata superstitione, emendatae religionis dignitas publice inter aras et altaria commendari ac defendi cooperat, quum hoc



musarum templum theatrum praebet grauissimarum religionis dissensionum \*. Inter eos ipsos, quibus provincia, sanctiores disciplinas docendi, demandata fuerat, Pelagius reuiuscere suumque virus ubique spargere videbatur. Prodigabat dudum profligata Manichaeorum turba et sacratum hunc campum nefariis errorum vestigiis contaminabat. Polluebantur sacra et illibata dei immortalis religio, validissimum illud musarum nostrarum salutis praesidium, religio, inquam, nostra, a superiorum seculorum facibus vix tum purgata, nouis maculis funestabatur. In hoc opinionum dissensu, qui veram doctrinam professi adhuc fuerant, de muneribus suis deieeti, nihil audebant; sed aduersariis liberrimum relinquere cogebantur, errores suos disseminandi, campus. Haec calamitosa tempestas, haec tetra atque infesta reipublicae pestis academiam in prima statim eius infantia peruersit periculumque fuit, ne summa eidem vastitas atque euercio inferretur. Hic, profecto, internus hostis, quem in suo sinu ac gremio tum nostra academia alebat, quo quis externo erat crudelior. Ille fortunas et opes, hic animam petit; nec tam saevis; aut terribilis ullus armorum strepitus: ullus tubarum clangor: ullus gladiorum ferrique stridor; quam libera et publica doctorum, sanctissima religionis placita turpantium, vox.

INTELLIGITIS, video, AUDITORES, vehemens  
 hoc ac mortiferum academiae nostrae vulnus fuisse.  
 At, eheu! musis nostris aliud subito atque improuiso  
 infligitur. Viginti annos steterat haec ingeniorum pa-  
 laestra, pacata omnia erant et tranquilla. Quam situs

legatur IO. FRANC. QV D D E V S miscellan. sacris, p. 457.

depressoerat, urbem, litterarum luce illustratam, fama  
 ad sidera iam tollebat. Gloria eius non vicinis mon-  
 tibus, non ambientis fluminis claustris, ut antea, ter-  
 minabatur; sed omnia adeo prona, adeo cedentia erant  
 eius laudibus, ut flumen exaruisse, montes subsedisse,  
 subduxisse se saltus et siluae viderentur, tam longe la-  
 teque, tam celeriter fama eius sese diffundere exteros-  
 que vndiquaque huc rapere cooperat. Haec dum  
 fiunt et geruntur, in hac firmissima futurae felicitatis  
 spe, optimae academie idem, quod nauigantibus con-  
 tingit, quos, insidiosa tranquillitate in infido mari  
 profectos, improuisus turbo saepe percellit. Pestife-  
 ra lues, horret animus referre, agros et urbem et  
 ipsam academiam inuidit ac misere depopulatur\*. Nullum,  
 profecto, acerbius: nullum luctuosius fatum  
 in primo aetatis suae flore experiri litterata nostra ci-  
 uitas potuisset. Ferbuerant adhuc in exedris et per-  
 gulis, in aedibus publicis pariter ac priuatis libera-  
 lium artium studia, iam frigebant: ad doctorum  
 scholas litterati ciues aduolantes et cateruatim quasi  
 inferentes se visi, iam fores, iam musarum facella  
 clausa, iam nemo fere, qui imbuere alios, nemo,  
 qui, imbui se litterarum studiis, cuperet. Fusum  
 illum per totam faciem et viridem iuuentutis academi-  
 eae ruborem: illam totius corporis alacritatem, qua  
 omnes artus et membra spirare quasi et agitari mo-  
 biliore sanguine videbantur: viuidum in musarum a-  
 lumnis pectus: florescentem litteratae cohortis viri-  
 ditatem, quis intueri, quis contemplari antea sine in-  
 timo

\* anno CCCCCXXVIII.  
 Parum dissimile fatum experta  
 nostra ciuitas est ann.  
 CCCCCXXVI. Vide ADREA-  
 NI BAIERI architectum ie-  
 nens. p. 606.



timo laetitiae sensu poterat? Iam firmissima corpora extabescabant: languebant omnes: gestientem laetitiam mortis metus, agilitatem corporis animi aegritudo, animi vigorem corporis exitiosa debilitas extinxerat atque oppresserat. Non laetantium vocibus; sed lugentium vulnalu et praeficarum lamentis fora et plateae et aedes personabant: non Musis; sed Libitiniae siebant sacra: non ingeniorum contentiones; aut ludi Mineruae; sed pompa ferales oculis, quo cunque incidebant, offerebantur. O subitam et miram rerum conuersionem! Videor mihi videre florentissimam academiam, sanctissimum religionis et musarum templum, diuinae lac humanae sapientiae sedem vno quasi incendio concidentem: cerno animo tenues reipublicae litteratae reliquias ex urbe in vicinum oppidum \* exportatas: Ienam luce, immo adeo vita sua orbamat. Virgines Vestales, nobis annales referunt, gallici belli metu palladium Roma Caeren tulisse. Luctuosum erat hoc iter, luctuosius profecto hoc, quod tunc musee cum palladio nostro fecere. Illud externus hostis; hoc internum, pectis, parietibus et muris inclusus, urbe pellit. Illud exportatum et in tuto collocatum Romae salutem: hoc ablatum urbi infesta quaevis portendit. Inuiolatum illud atque illaesum manet, huic praecipuum ornamentum, magna ciuium nostrorum parte dissipata, detrahitur.

REDDIT  
omnibus

\* Saalfeldam academia trans-  
lata, anno supra dicto  
CICIO LXXVIII. rectore  
ANDR. ELLINGERO. ut  
ex programmate academico, d.  
m. iul. huius anni valuis publi-  
cis affixo, patet.

REDDITVR vrbi palladium \*, spiritum et sanguinem et patriam recipiunt litterarum studia, quae pestifer ille hostis exfilio adfecerat. Colliguntur dissipatae ciuium cohortes; sed, eheu! colliguntur quoque dissipatae nubes, vt nouo infortunii genere restitutum musarum templum adoriantur. Siccine in fatis erat, vt alia calamitas aliam sequeretur? Erat profecto, quumque bella, quae hanc liberalium artium officinam infestarent, deesse adhuc viderentur, ne quid deesset ad summam calamitatem, Mars quoque in haec musarum castra erat inducendus. Contigit nuper oculis vestris, CARISSIMI CIVES, insolita antea facies, quum onusta fercula, signa et instrumenta bellica per urbem nostram vehi: quum copias militares ad aciem duci, videretis. Sed contigit vobis simili haec paene inuidenda felicitas, vt in hoc funesto ac cruento theatro academiam vestram spectatricem, non spectaculum videretis. Satis tunc experimento cognovisse vos, arbitror, diuersissima esse Martis et musarum ingenia; neque ferre facile has et sustinere diu posse armorum illius strepitum. Stupet animus, et quidni stupeat? si suribundi militis in musarum tempora impetum sibi proponit, si earum sacris castrensem puluerem et sanguinem misceri, si cubilia nostra et litteratos secessus armata manu peti, sibi fingit. Quanta tum perturbatio? Expauescunt musae, classici et tubarum terribilis sonitus eas percussit, relinquunt trepidae tranquillas suas sedes, fugiunt et dissipantur. Tristis haec academiarum, quae bellis vexantur, facies: eadem nostrae, proh dolor! aliquoties maiorum aetate fuit. Nostis, credo, AUDITORES, luctuo-

\* d. x. martii anno 1510 LXXVIII.



ctuosissima illa' superiori seculo Germaniae tempora : nostis acerbissima fata, quibus nostra patria longo illo ac paene diurno bello, quod per tringita annos misere eam excruciauit, fuit obnoxia. Quantopere afflictabatur tum musarum nostrarum cohors communi patriae calamitate, quam suam esse, acerbissime sensit ? Misera profecto eius academiae conditio, quae continuo militis per urbem transitu perpetuisque exercitum vltro citroque itineribus, eneruatur \* : quae omni priuatur commeatu, omni anno na, exinanitis hostili manu horreis. Triste hoc factum tum ciuitas nostra, cum ciuitate academia est experita. Videbat se omni spe salutis orbatam, pruincia enecta, attenuatis ciuium viribus. Ab exterris nulla polliceri sibi poterat incrementa, quum, qui liberos suos ad hanc bonarum artium mercaturam mitterent, opibus exhaustis, non possent, qui mitterentur, nollent, belli metu perculsi et prostrati ? Nullam tum litteris poterat conciliare claritatem in his, quibus circumfusa erat, procellis, nullam salutem in communi patriae pernicie : nullam tranquillitatem in tanta rerum omnium perturbatione ? Magnae profecto erant hae calamitates \*\* ; sed fulgura tantum erant, quae, tonante caelo, fatalem fulminis ictum opti-

\* testimonium de nostra academia perhibent ea, quae in tabularii academici *actis militibus* vol. 1. B. fol. 75. coll. fol. 90. 184. sq. de tristioribus urbis et academiae ienensis fatis tempore belli tricennalis habentur. In primis anni 1510 1525. 1510 1525.

1510 1525. musis nostris admodum fatales fuere.

\*\* quae tamen longe maiores profecto fuissent; nisi singulare numinis prouidentia tot repetitas publicae securitatis sponstones obtinuisse non solum ab imperatoribus augustis Ferdinando II. mens. ianuar. ann.

optimae academie denunciarent. Adoriantur eam imperatoris milites, diripiunt et spoliant aedes, effundunt se hostili furore in forum, depeculantur tabularium: litteras publicas principis et ciuitatis conscientias disiiciunt ac dissipant: petunt senatus academicorum curiam eidemque impiam iniiciunt manum \*. Numquam conquiescant sacrilegorum horum manes; nos vero, o CIVES, precabimur deum, ut loci huius sanctitas semper inviolata, et ipsum adeo eius nomen vel audacissimis venerabile maneat nosque hostilem terrorem non armorum; sed togarum ostentatione semper compescamus.

QVID? intestina bella, superiori in primis seculo conflata: quid? seditiones ciuiles, aliquoties excitatas, si erroribus medendum; aut lapsa disciplina prouida severitate resouenda erat: quid? alias infestos reipublicae nostrae casus vbi commemorare vellem, dies me citius; quam oratio deficeret. Miramini potius nunc mecum, AUDITORES, academie nostrae in tanta fatorum varietate floris constantiam: singularem illam caussarum in euentus plane inopinatos conspirationem summamque diuersissimorum casuum ad academie huius laudem concordiam. Quam utile tibi, LAVDATISSIMA ACADEMIA,

ann. CICICXXXVII. Ferdinandu III. mense april. anni eiusdem et mense septembr. CICICXXXVI. ac Leopoldo, mense iulio an. CICICLXXIIII. sed etiam a summis militiae Caesaris duabus, comite de Tilly, d. XXIII. iun. CICICXXXI. Alberro, duce Mecklenburg d. VIII. nou. CICICXXXII. comite de Goetz d. XVII. febr.

CICICXXXVII. de Seelen d. IIII. febr. CICICXXXVII. et de Salis d. XVI. febr. CICICXXXVIII. deinde ab archiduce Leopoldo Guilielmo d. XXIIII. april. CICICXXXX. itemque a comite de Suys de XXX. maii CICICXXXII. aliisque.

\* anno nimirum CICICXXXVII. Vide BAIERIAE architect. Icens. p. 665.



**D**EMIA, fuit, ad vsum secundorum per aduersa venisse? Sparsi in prima tua infantia religionis errores quantum purioris doctrinae stabiliendae ardorem, quot stimulos, quas faces subiecere doctoribus tuis ad vindicandam diuinioris disciplinae veritatem\*? Infinita pericula, quibus expositam te saepius vidisti, numinis supremi in tuis aris et templis cultum reddiderunt ardentiorem et religiosorem, effeceruntque, vtne frigido adsensu; aut verbis, inter labia nascentibus et pereuntibus; sed toto pectore intimisque velut medullis veritas et pietas regnaret. Et quid de mirabili tua in his periculis conseruatione dicam? Quot vulnera tibi impressa: tot certe diuinae erga te benignitatis et prouidentiae documenta visa: tot profecto tibi ex his comparata decora sunt. Haec te ornant, vt olim Iouis Capitolini templum post insigne praelium dicata numini laurus. Multum sane, gloriam adquirere: plus, adquisitam conseruare: maximum, conseruatam contra omnes i nsidias et iniquioris fortunae impetum grauiter tueri ac defendere. Enituerunt aliae academie in pace; sed defloruere in bello, aliis litterata otia; sed non aequa calamitates profuerunt: adquisitum aliae plausum pereundi, amissum crescenti famae aliarum debent. Nihil vero te ad hoc vsque tempus fortuna mutauit. Et calamitatum et secundioris fortunae semina in te semper latuerunt; sic vero res diuersissimas iungis et misces, vt in ipsa rerum diuersitate summus sit laudis tuae consensus. Nec cuiquam, tertium licet iam seculum laetis ominibus auspicata, senescere videberis, quin in ipsis gloriosae tuae senectutis insignibus summam aetatis indeflexae maturitatem maximumque vigorem animaduertat. Quod enim vel ullum laudis

\* vide IO. FRANC. BVDDEI *miscellanea sacra*, p. 458.

dis genus est, tibi olim impertitum, quod non eodem iure  
 hodie tuearis? Floruisti omni aetate fertilissimorum  
 ingeniorum prouentu, flores: induxisti continua serie  
 fastis tuis celeberrima in omni doctrinarum genere no-  
 mina, inducis: misisti doctissimorum virorum colonias  
 vniuersae litteratae Germaniae aliisque prouinciis, mit-  
 tis: difficillimis temporibus musis exsulantibus perfu-  
 gium: afflictis solatiu[m], fessis requiem praebuisti, pra-  
 bes. Felices defunctorum academiae huius patrum  
 manes, qui celebritati vestrae hoc quoque gaudium ad-  
 iunxit, ut, quibus vos virtutibus vobis aeternitatem  
 nominis, academiae famam merebamini, earum semi-  
 na eidem in uberrimi fructus spem, a vestris discipulis  
 et successoribus exspectandam, relinquaretis. Felices  
 academiae doctores, qui gloriam huic litterarum offici-  
 nae a maioribus partam, defenditis, defensam amplifi-  
 catis, amplificatam ad posteros propagatis. Felicem ipsam  
 academiam, quae semper sibi par, ut celissimus eius  
 conditor numquam sibi dissimilis fuit. Hic non potuit,  
 quum academiam conderet, post tot immortalia facta  
 mortale quid; aut quod florem amitteret suum, con-  
 dere. Quodsi tu, caelo commendatissime PRIN-  
 CEPS, sacratissime FRIDERICE, ex mortuis ad pu-  
 blicam hanc viuentium redires lucem: si ad tempus re-  
 linqueres beatissimas sedes et ex caelesti illo superum  
 concilio in hanc tuam academiam secederes, si tot illi-  
 bata eius ad hunc usque diem videres ornamenta, TE  
 communibus nostris pro perpetua eius incolumitate votis  
 gaudium TUVVM consociaturum et laeto animo ad  
 umbras TVAS redditurum, omnes tuto confidimus.

HANC tu tibi perennem gloriam semper tueberis,  
 LAUDATISSIMA ACADEMIA. In IOANNE enim FRI-  
 DERICUS.

C

DE-



DERICO tuum conditorem, in eius de caelo demissa  
 augusta progenie CONSERVATORES TVOS CLE-  
 MENTISSIMOS, in SERENISSIMO ERNESTO  
 AVGVSTO CONSTANTINO, RECTOREM  
 TVVM MAGNIFICENTISSIMVM veneraris.  
 At quanta haec, quam firma futurae perpet-  
 uae felicitatis pignora! Quicquid, o CIVES, in-  
 dulgentissimis his musarum nostrarum parentibus: quic-  
 quid nostro CLEMENTISSIMO PRINCIPI precamur,  
 academiae precamur. Hoc a deo nobis concessso prae-  
 sidio, academia arx inaccessa, munimentum inexpugna-  
 bile erit et in ipso armorum strepitu Albani lacus otia  
 et fontes Baianos eorumque silentium referet. Hoc  
 PRINCIPLE academica purpura amictu, Iena laetiore for-  
 tuna dignoscetur, ut olim frugalitate Pisones, sapientia  
 Laelii, pietate Metelli monstrabantur. Academiae sce-  
 ptris huic Musagetae submissis, saluus erit MAGNIFI-  
 CVS ACADEMIAE PRORECTOR eiusdemque MA-  
 GNIFICVS PRORECTOR DESIGNATVS, salui erunt  
 VENERANDI MVSARVM ANTISTITES, salui et vos  
 eritis, DVLCISSIMI CIVES, nostrae omnium deliciae.  
 Sed quid ego vos votis iam moter? Quid pacem, quid  
 concordiam, quid felicitatem, quid securitatem, quid  
 opes, quid honores academie nostrae precer? Sim-  
 plex cunctaque ista et reliqua bona complexum vnum  
 omnium votum hodie esto: SALVS ACADEMIAE.



CAR.



CARMEN  
SECVLARE  
AVCTORE

ADOLPHO CHRIST. ERNEST. AB VFFEL

EQUITE MISNICO

libri I

C 2

Templa



**C**templa parent placidisque micant nunc ignibus  
arae.

**N**umen adest: properate sacros reuenerter ad  
ausus

Praesentique Deo precibus pia vota probate.

O salue secunda dies: lux aurea salue.

Alme dies salue, quo non illustrior alter.

Te maccenates, te musarumque patroni,

Te studiosa cohors, te ciuica gaudia spectant.

Pectora permulces, animos suauiterque relaxas.

Exhilaras iuuenes alacres, frontique senili

Contractas adimis rugas, iam flore reducto.

Plausibus excipiunt omnes, queis fronte serena

Contigit, vt videant te, lux spectanda per aeuum.

At mihi, qui laetus solemnia carmina dico,

Sint faciles Musae, nascantur digna Marone,

Stiglioque tuo, *Iena*, convenientia verba.

Laudis

Laudis enimque tuae praeceo dignissimus ille,  
 Irimus erat nostri simul et pius incola templi,  
 Iallade digna loquens. Merito super astra vehuntur,  
 Quae te condecorant celebrantque, Salana, per orbem.  
 Te clemens caelum, species regionis amoena,  
 Illuminis et placidi littus, vitesque feraces,  
 Ratorumque decus, nemorum vicina venustas.  
 Gratam te reddunt cunctis et semper amoenam,  
 Atque valore tuo nihil umquam clarius exstat,  
 Vnde quo celeris penetrant praeconia famae,  
 Praedicat hanc orbis, cunctos et laudat in annos.  
 Exstitit haecce viris multis illustribus alma  
 Mater, et usque sagax pariter fuit arbitra morum.  
 Quid mirum, quod eam totus veneretur et orbis,  
 Quid mirere, Deum semper bona quaque dedisse  
 Auxiliumque suum, quos non est dignior illa.  
 Quid mirum, terras, modon non decus omne relinquant  
 Humanis faueant studiis et idonea curent:  
 Quid mirum, musarum quod penetralia spectet,  
 Quae tu *Iena* soues, et doctis artibus ornas.  
 Confluit hic iuuenum flos, spes patriaeque voluptas.



Non accedit grandiloquo rumore vocatus.  
 Non venit inuitus, nec inani lumine ductus.  
 Hic operam musis iucundis consecrat omnem:  
 Doctrinis tribuit tempus pariterque seueris.  
 Numinis hic diui sollers oracula tractat,  
 Scrutaturque pius celsi mysteria caeli.  
 Hicce litarum Themidi, iuris pellectus amore,  
 Discit et apta foro, legum defensor et aequum  
 Artis apolloniae gnarus quicunque redire,  
 Ciuibus atque tuis vis rite salutifer esse,  
 En quam clara tibi praestent exempla virorum,  
 Quos merito priscos credas superare Melampus.  
 Hos cole mox sollers, hominumque tuere salutem.  
 In sacras quisquis naves penetrare recessus,  
 Caelica quose in se mire sapientia condit;  
 Abdita naturae si vis miracula nosse,  
 Gestorumque fidem, simul ac monumenta morari:  
 Compos eris voti: ceu tu seruire decoro,  
 Ceu varias cupias exacte discere linguis.  
 Tanta manent recreantque tuos salana sodales,  
 Has poscis laudes; verum mea discrepat istis

non

c.

Et



Et vox et ratio. Non possum digna referre,  
 Quae tibi, Musarum sedes, iam iure sacrantur.  
 Haec bona, quid dubites, quin demittantur ab astris.  
 Munera sunt, superum caelis oriunda corruscis.  
 Ergo nata polo pietateque fulta Salana,  
 Splendoris memor esto tui per saecula tracti.  
 Tu medias inter clades, bellique tumultus,  
 Atrocesque minas ac tot turbamina rerum  
 Condita magnanimi sacrorum vindicis arte,  
 Principis herois, cuius fere gloria maior  
 Laudibus est cunctis. Huius virtute locata,  
 Intemerata, nitens, victrix, numerosa stetisti.  
 Vel si principium spectes, augusta fuisti  
 Primaque purgatis academia condita templis.  
 Grandia, pompa, decus, ludi, spectacula mentem  
 Implet, si reputo tua nunc primordia mecum.  
 Funesta occurasant mox nobis atraque fata,  
 Quae cladem struxere tibi tristemque ruinam.  
 Exitiosa tues, serpens contagio diris  
 Omnia funeribus lacrimisque repentibus implet.  
 Vix secura tibi sedes salana relicta.



Aufugiunt trepidae quaerentes tutam Camoenae.  
 Tempora laeta tamen redeunt et prospera fulgent,  
 Ac nostris repetunt musae sacraria Athenis.  
 Thura ferunt: placidis adolescentibus ignibus aerae,  
 Moxque cohors recti cupidorum crescit et ampla  
 Incrementa capit, sacri lucusque virescunt.  
 Inuidiam primum, simul ac tua gloria celsum  
 Adscendit culmen, tunc tu sensisse videris  
 Inuidiam, quae plura tibi post commoda nolens,  
 Praestitit inuitis duxit manibusque salutem.  
 Haec tua quam ridens, qualis fortuna fuissest,  
 Fausta Salana, tibi: graffantur ad aspera bella,  
 Excidium ferale tuis minitantia tectis.  
 Serpserat haec rabies penetralia moxque cruenta  
 Reddiderat, quum tuta quies et amoena rediret.  
 Tot vicibus variisque modis agitata Salana,  
 Integra per saeculum steterat noua yota capessens.  
 Pandere si vero memorando singula vellem,  
 Quae tibi per saecli spatium iucunda fuerunt,  
 Vox mihi deficeret citius, tempusque negaret.  
 Hoc celsum propriumque decus tibi Iena manebit,

Prin-



Principibus parere bonis, summisque fozeri.  
Est aliquid, iussus ac splendida sceptra vereri,  
Quae sacra religio, sapientia quaeque gubernat.  
Fortibus, est aliquid, magnis dominisque probari,  
Purpureis soliis, heroibus atque subesse.  
Hisce tuis nunc macta bonis, superosque Salana  
Aeternum reuerere tuos: sacra purpura constans  
Praesidium facilesque tibi per saecula spondet  
Musas, aeternoque dabit te flore perennem.  
Quid superest, nisi vota tibi soleminia solui,  
Ardentesque preces hac tanta luce referri?  
Excello residere throno mihi summe videris  
CONSTANTINE! tuo, caelestis gratia vultus  
ulget, et augusto viuaciter insidet ori.  
olle tuum, grandis Princeps, per saecula nomen:  
olle decus nostrae musarum sedis et auge.  
Irospera, quid dubitem? contingent omnia vati.  
Iincipit sub tanto florens academia perstat,  
Cescet et a nullo tenebris damnabitur aevo.  
Vis quoque, Saxonis qui nunc regnatis in aulis,  
Gloria summa patrum, Vos stirpis fulcra vetustae;  
Vuite felices, ac porro grandibus annos  
It seros ausis transscribite nomina gentis.  
Quod superest, clemens sanctis Deus adnue votis,



Ac nostrae longum sinito superesse saluti  
 Doctores, qui Salanae tueantur honores.  
 Egregiae mentes! non laudi detrahet umquam  
 Posteritas aliquid vestrae, sed summa manebit.  
 Sic, mea Iena! vige, tu quae compluribus annis  
 Excelsum caeli caput inter sidera condis,  
 Diuiniis animosa tuis nunc vtere felix,  
 Vtere sorte tua constanter; praemia musis  
 Gnauiter excultis diuinitus addita pande,  
 Floreat Eusebie; vigeat pax; Pallas honora  
 Laetetur: stet, Iena, tuum per saecula nomen.



A D O

c 2 Ve

# ODA SECVLARIS

---

SCRIPTA

A  
**IVSTINO SCHNEEGASS**

GOLDBACO - GOTHANO


SANCTIORIS DOCTRINAE CVLTORE ET DICTAE  
SOCIETATIS COLLEGA ORDINAR

AD FIDIVM TIBIARVMQUE CONCENTVS

A  
**COLLEGIO MUSICO**

DECANTATA

ANTE



ANTE ACTVM.

Exsurge, felix Pieridum cohors:  
Fastidiosas comprime nenia,  
Frontisque disturbare moestas  
Aeoliis per inane pennis  
Committe nubes. Laetitiae novus  
Adficta torrens pectora compleat,  
Festusque clarescat triumphus  
Ac feriat pius astra plausus.  
Funeste Mauors, quo duce patriam  
Formidolosis bella furoribus  
Stipata vexarunt, quiescas.  
Sanguineam Libitina scenam

Cal-



Caliginoso contumulet chao,  
 Nec classicorum terrificus fragor  
 Perstringat aures, nec suaves  
 Castalidum modulus retundat.  
 Auditis? an me ludit amabilis  
 Imago pompa? iubila, celsius  
 Sublata, ridentes iocoſo  
 Ad tumulos strepitu resultant.  
 Quam purpurato solis in effuso  
 Vexit secundis ominibus retro  
 Fortuna, natalem Salanae,  
 Gemmiferis nitidam coronis,  
 Lucem venusto percelebrat choro,  
 Matrique pulchram laudis adorem  
 Phoebea consecrat iuuentus,  
 Ad numeros saliente chorda.  
 Io triumph! iam duo candidis  
 Fluxere praeter secla iugalibus,  
 Aeuique inexhausto barathro  
 Mersa latent: viget alma Iena.  
 Ceu pressa grandi mole cacumina  
 Victrix in auras palma resuscitat:  
 Fundata lugubri sub astro,  
 Multiplicisque agitata raucis

T204

Fati



Fati procellis fractaque cladibus,  
 Musea tempe stant vitidariis  
 Superba, praelustrique fama  
 Aetheriis membrantut oris.  
 Intaminatis Pegasei specus  
 Fulgent tropaeis. Strata sagacibus  
 Armis, sub inuisa Mineruam  
 Barbaries veneratur vmbra.  
 Late serenos hinc radios vibrat  
 Exorta caelo lux sapientiae,  
 Blandoque virtutes amictu  
 Fertilibus spatiantur aruis.  
 Aeterne Princeps, fitmaque supplicis  
 Columna mundi! huminis auspice  
 Cura celebratum Salanae  
 Palladium manet officinae.  
 Tuum perenni carminis alite  
 Nomen sonamus. Thure calent Tibi  
 Nitentque votiuis tabellis  
 Ac precibus sacra templa fumant.



POST

## POST ACTVM.

**T**itan, rotundo qui vaga secula  
Motu volutas, aequore blandius  
    Emerge formosasque terris

    Sparge comas meliore flamma.

Cessent hiberni frigoris impetus.

Tumultuosi vim Boreae fuget

    Tepentis adflatus Fauoni,

    Et croceam sine labe pallam

Aer olympo rarior induat,

Dextrisque currant alitibus dies,

    Lamenta curarumque fluctus

    Nunc sileant fremitusque vulgi.

Rident Mineruae dulciter otia.

Augusta regnat pax Heliconiis

    Antris Amaltheesque cornu

    Laurigeris operatur aris.

Io! canoris in numerum cadunt

Lymphis Salani murmura Penei.

    Vallis cachinnatur, nouoque

    Rura micant recreata vultu.

Iam delicatis oppida faustitas

Bigis reuicit. Purpureum viret

    Aeuum, coronatumque gemmis,

    Insolito pluit imbre caelum.

Stagnant



Stagnant repleti nectaris amnibus  
 Ac melle vici. Profluit vndeque  
 Demurmurantium balsamorum  
 Suaueolens per aprica riuus.  
 Altis vagatur Thespiaenum seges  
 Cristis. Honestum religio caput  
 Ostentat ignitosque crines,  
 Ac hilari mouet ora plausu.  
 Expergefactis ad sonitum lyris  
 Phoebus Salanae magnificum canit  
 Paeana felicemque sortem.  
 Fatidicis resonare votis  
 Auditur altus Castalidum chorus:  
 Excelsa fastis Iena perennibus  
 Florebit et faustis anhela  
 Verticibus superabit astra.  
 Sic fiet: Echo garrit: ab arbore  
 Ter laeta pennis plaustris aus: nuit  
 Iehoua, qui regnum Salanae  
 Praesidibus bene mulcet alis.



PLAV.

PLAVSVS VOTIVI  
S O D A L I V M  
ALIQVOT EXTERORVM

multis - pluresque de regnali illis abruui  
tus et diffundit. Nonne - supponit hinc utrum  
legem et statutum non expellat ipsius  
impunitus est? quod enim secundum isti  
dilecti et amatoe sacerdotum habent certitudinem  
quod non possunt esse nisi per legem et statuta  
debet et debet et debet et debet et debet et debet

D

ILLV-



ILLVSTRI  
SOCIETATI LATINAЕ

S. P. D.

GEORG. HENR. AYRER

POT. BRITT. REG. A CONS. AVL. IVR. DOCT. ET PROF.  
PVBL. ORD. IN ACAD. GÖTTINGENSIA.



Iucunda mihi semper est recordatio dudum  
praeteriti temporis, quod iuuenili aetate  
quiete placideque, nec sine fructu, transegi  
in sinu almae matris vestrae, iam tum qui-  
dem satis annosae, sed nihilominus vegetae ac foecun-  
dae, vtpote nec frequenti per duo, quae nunc expleuit,  
secula

secula ingeniorum partu effoetae, sed inter obstetricia tot Nixorum felicissimorum, parturienti tempestive opem ferentium, numerosam quotannis prolem edere pergentis, in societatis sacrae pariter ac civilis ommoda eruditam atque formatam.

Magna itaque cum voluptate nuper intellexi ex programmate, ad nostram academiam Georgiam Augustan transmissò; illam iam in eo esse, vt inter horrificos Martis strepitus bisaecularem triumphalium Iudorum sollemnitatem, omnibus sane triumphis, bello, cui nullam salutem esse, communis patria nostra hac infelici discordiarum ac miseranda tempestate nimio pere experitur, partis, longe laetabiliorem auspicatio remque adornet. Insignem vero lactitiae meae cumulum addiderunt vestræ, viri celeberrimi atque doctissimi, litteræ humanissimæ, quibus me quoque sodalitii vestri participem beneuole inuitare: voluistis ad concelebrandam festiuitatem peculiarem, qua laudabili instituto celebritatem academicam, a tam benigna tamque gratum vobis domicilium præbente matre indictam, augere decretuistis, hunc laetissimum as fidui vestri ac felicis elegantiorum literarum cultus fructum laturi, vt, quamdiu studia humanitatis veterisque præcipue Latii castitas et venustas vobis curae erunt

D 2

cordi-



cordique, illa de barbarie fugata, sicut de aliis periculis, feliciter superatis, non solum magis maisque triumphare redditumque eius impedire; sed etim de hospitibus, immo filiis familias tam bene cultis sui possit gratulari. Quam libenter equidem vellem coram adesse, inter plausus publicos, quos macti virtue procul dubio excitabitis, vobis gratulabunda voce & mente adplausurus. Quam cupide amplexurus effim opportunitatem, vnum alterumque praceptorum neorum honoratissimorum, magnificum in primis atque summe venerabilem et academiae vestrae et ordinis sui seniorem, ciuem meum maximopere colendum, consulandi; nisi id praesentis ratio temporis prohiberet. Hac igitur iustum excusationem mihi praebente, per humanam vestram in uitationem officiosissime deprecanti, beneuola fronte vos accepturos esse, spero, vota, quae, licet absens; non minus tamen candide, pro perenni academiae Ienensis aequa ac vestrae societatis, in gremio eius natae, fotae, cultae ornataeque, flore ac in columitate perpetua nuncupo, deum immortalem ex animo precans, ut, pacatis mox Germaniae perturbatae rebus restitutaque quiete, vestris ac nostris Musis tam necessaria, res utriusque arcto coniunctas vinculo, et sub tutela serenissimorum nutritorum rectoris-

etrisque magnificentissimi munificentissima, et sub  
dici ac honorisico illustrissimi comitis Rutheni praesi-  
co prosperrime succedere, gloriamque partam maxi-  
mis crescere auctibus atque ad seram posteritatem iu-  
leat propagari. De me autem persuasissimum vobis  
se velim, carissimi sodales, nullam non occasionem  
nihil gratam semper fore atque exoptatam, qua de vo-  
bis omnibus ac singulis bene merendi studium meum  
prolixissimum ipsis rerum argumentis demonstrare  
queam. Ita valete, et, quod vos facere, confido, me  
imare pergit. Dab. Göttingae, prid. cal. Febr.

ccccclviii.





VIRIS EXCELLENTISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS GENEROSISSIMIS  
NOBILISSIMISQUE

**G. G. RICHTERVS**

POT. BRIT. REG. A CONSIL. AVI.

MED. D. ET P. P. O. IN ACAD.

**GEORGIA AVGUSTA**

**A**d societatem gaudii vestri, viri magnopere co-  
lendi, ad quam tanta humanitate inuitasti, vltro  
adspirat animus meus; certe festo illo ac sacro die, quo  
alma studiorum mater tertium aetatis suae, cum tanta  
gloria exactae, seculum auspicato ingreditur, candidis  
pariter votis pro salute eius et ad normam pietatis ve-  
strae aestuabit. Et quis est, quem litterarum decus  
tangit, qui venerabilem illam cultissimorum ingeniorum  
matrem, cuius sinum neque elapsorum seculorum foe-  
cunditas exhaustis, neque futurorum, vt merito confi-  
dimus, exhaustis, diuinæ tutelæ sollicite commenda-  
re, etiamsi extra sinum eius vixerit, sui officii esse non  
intelligat? Ego certe lectis litteris vestris magno statim  
flagrare desiderio coepi, iter ad vos moliendi, etiam in  
hoc senio meo, inter has hiemalis frigoris minas et va-

ria

ria non infitienda, quae pedem remorantur, negotiorum  
 obstacula. Res enim maxime optabilis visa est coe-  
 tui tam amabili et victimas diuinae prouidentiae offe-  
 renti iungi, et quam spem litterae vestrae iniecerunt, a  
 priuatis aris ad publicas vos comitari, pietatis vestrae  
 exemplo accendi et meo vicissim accendere, denique  
 festiuitatis huius decus, ut memorem animum saepe re-  
 creet et ad extollenda diuina in litteras beneficia im-  
 pellat, inter solatia quaedam vitae ac delicias referre.  
 Verum conatus omnes, qui votis meis mirifice blan-  
 diuntur, publica opprimit praesentium temporum cala-  
 mitas, in qua sunt, qui piaculum dixerint, a focis  
 suis et penatibus, vario discrimini expositis, abesse. O  
 si desaeuiat tandem haec procella belli, quae musarum  
 gaudia nimis contaminat! Nihil vero ista impediunt,  
 quo minus laeta festi illius diei, in quo digno celebran-  
 do occupamini, imago natuus se coloribus animo meo  
 repraesentet et ardentiissimarum precum conceptissimas  
 formulas inspiret, quarum summa hue reddit, ut arbiter  
 rerum omnium, qui tam celebrem musarum sedem inter  
 tot luculenta gratiae suae munera condidit, et aduersus  
 omnes temporum iniurias non uno seculo protexit, per-  
 que viros, inde egressos et eximiis in doctrinam tam sa-  
 cram quam ciuilem meritis inclitos, plurimarum prouin-

D 4

ciarum



ciarum commodis et saluti consuluit, in perpetuo rerum suarum vigore et incremento ad postremos humani aei terminos conseruet illam ac tueatur. Vos, sodales amicissimi, qui, stante et vigente academia instituti vestri praestantissimi stare ac vigere decus et noua passim praesidia imminere, confiditis, in communi illo rerum prosperrimarum vinculo et suavi officiorum concentu crebras exspectate gaudendi et gratulandi inuicem occasiones. Quibus si vocem Richteri vestri congratulantis se crebro miscere coniicietis, erit haec conjectura ut amica et mihi honorifica, ita, de quo securos vos esse velim, iusta et omnis erroris expersi. Ex academia Georgia Augusta die x calendas Febr. A. S.

**CICCLVIII.**



VIRIS

VIRIS EXCELLENTISSIMIS,  
AMPLISSLIMIS  
NATALIVM CLARITATE, INGENIORVM AC DQ-  
CTRINAE PRAESTANTIA FLORENTISSIMIS  
ILLVSTRIS SOCIETATIS, QVAE IENAM ORNAT,  
LATINAЕ DIRECTORI, EPHORO, SODALIBVS

IO. MATTHIAS GESNERVS

POT. REG. BRITT. A. CONSIL. AVL. ET IN ACAD.  
GEORG. AVG. P. F. O.

Quod nuper publico huius vniuersitatis nomine ad  
vestram, sodales, a me scriptum est, esse inter no-  
stros, qui valde optent in secularium almae matris  
etiam suae gaudiorum societatem venire, et ab ea se per-  
temporum vel suorum vel communium rationem exclu-  
di, aegre ferant: illud non modo me formante episto-  
lam, sed ex meo etiam sensu scriptum esse, facile vel  
non adfirmanti mihi creditis. Quid enim iucundius  
mihi esse posset, quam reuisere post duodequinquaginta  
annos sinum matris optimae, nutricis quidem certe et  
studiorum et paupertatis meae, reptare per ipsa illa lo-  
ca, in quibus bene mihi fuit, auditoria reuisere, in  
quibus et audiui multa cum fructu, et aliquoties etiam  
non sine quadam gloriola auditus sum, conuictorium



illud et *ευστήτιον* ingresso ibi si non corpore, animo certe religiosa pietate prostrato, gratias persoluere diuinæ primum, deinde et antiquorum principum prouidentiac, quae alimenta et mihi per tres annos integros, et ceteris virorum bonorum per duo secula præstitit: tum vestro in coetu (daretis enim mihi, scio, vel senatum vel concionem facile) commemorare, quid ego Ienae, quid literis illis debeam, quarum nos deuinxit societas; adolescentes autem, qui adessent, dicerem, illas literas, quas quidam homines, si non iactant, missant certe, nihil facere *πρέστε τάλαρια*, non modo panem, quod de suis studiis gloriantur, procurare et alimenta adolescentulis, sed viris etiam sal sapientiae, et alacritatis ac laetitiae vinum senibus.

Non est opus, sodales, pluribus vti vos doceam, quam cupide ad vos aduolare, si res facultatem haberet. Et nondum dixi, quantum ipsum iter mihi voluptatis præbiturum esset, ex veteribus necessariis, principalibusque cimeliis inuisendis Gotha, ex Erfurtensibus institutis coram arbitrandis, ex reuizada vel bibliotheca vel gymnasio Vinariensi, iuuentutis meae per quatuordecim annos et officina et theatro: quantum iuunditatis ex ipsa vrbe, ex veterum amicorum et nouorum complexu, ex ipsa velut illustratione et recensu do-

muum



muum et familiarium, ex vestris, sodales, et eorum,  
quos patriae linguae studium mihi conciliauit, saluta-  
tionibus, complexibus, confabulationibus. Ita mihi,  
quae volo, contingent, ut hac ipsa imagine me effterri et  
quasi περισταθαι sentio. Verum enim vero, somniorum  
aliorum instar, diffugiunt pulchrae illae φυντασίαι. Sa-  
tis mihi esse debet, vt absens corpore, praesens animo  
et omnibus votis, bene precer Ienae, almae matri no-  
strae, speciatim vobis, sodales optimi, et gratulatio-  
nes atque vota omnia, quae per illa vestra sollemnia fient,  
nuncupabuntur, rata esse diuinitus ex animi mei sen-  
tentia optem. Ita fiat! ita vos deo curae sitis, ita  
Societas latina seculum aliquando suum, post perpe-  
tuum felicitatis tenorem et incrementa, laeta felixque  
condat. Ita mea vobis vita iucunda, ita aliquando  
memoria cara sit, nec inhonesta. Scrib. a. d. xviij  
Ianuarii A. S. LVIJ in academia Georgia Augusta.



CELE-



CELEBERRIMAE  
 QVAE ATHENIS PROPTER SALAM EST  
**L A T I N A E S O C I E T A T I S**  
 DIRECTORI EXCELLENTISSIMO,  
 EPHORO GRAVISSIMO,  
 SENIORI AC RELIQVIS SODALIBVS AMPLISSIMIS  
 S. P. D.  
**G V I L . H E N R . H A I M . L . B . à W O L L Z O G E N**  
 ET NEVHAVS  
 SERENISS . SAXON . GOTH . ET ALTENB . DVCI  
 A CONSIL . REGIM .

**N**on potuit honorificentius agi, quam a vobis, director excellentissime, ephore grauissime, senior ac reliqui sodales societatis latinae amplissimi, mecum actum est per litteras x x v i i decembr. superioris anni die ad me scriptas, in quibus singularis vestra in me benevolentia ita se ostendit, ut non possim, quin maximas pro ea vobis gratias agam. Gratulabor autem vobis prius, ut debedo, deinde ad me reuertar. Gratulor de sacris secularibus, quae cum incluta vestra academia facere decreuistis, gratulor vero etiam ipsi academie, cui per vos hoc ipso seculo noua gloriae facta est accessio atque ut perpetuus huic Ernestinae Saxoniae luci splendor obtingat, ex animo precor. O

quam

quam vellem, nunc enim ad me venio, gaudiis Vestris interesse, quibus nihil mihi fingere possum laetius. Sed vereor, ut tam felici esse mihi liceat. Quum enim nudius demum tertius vestras longe mihi exoptatissimas acceperim litteras, propter angustiam temporis an descendendi iam veniam et petere possim et consequi, dubito. Accedit, quod consiliariorum nonnullis iam absentibus, tantum ab occupationibus meis mihi non videtur fore otii, ut in aliquot dies hinc excurram. Interim animo certe vobiscum ero, votis vos prosequar et quaecunque ab homine vestri studiofissimo obseruantissimo proficisci possunt, quoties tulerit occasio, cuique vestrum praestare, voluptati mihi ducam. Valete et mihi, quod facitis, fauere pergitte dab. Altenburgi die xii. cal. Februar. CICICCLVIII.



VIRIS



VIRIS  
EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
GENEROSSIMIS NOBILISSIMISQVE

ILLVSTRIS

SOCIETATIS LATINAIE IENENSIS  
DIRECTORI, EPHORO, SENIORI COLLEGISQVE,  
CHRISTIAN. GVIL. FRANC. WALCHIVS

THEOL. D. ET P. P. O. IN ACADEMIA GÖTTING.

**Q**uum legi litteras vestras, viri celeberrimi clarissimi-  
que, humanissime ad me scriptas, tanta captus  
sum voluptate, ut gratularer meae fortunae, qua ita  
vobiscum coniunctus sum, ut me in gaudii ac votorum  
societatem venire velitis, quibus sacra Ienensis acade-  
miae secularia prosequi decreuistis. Etenim non solum  
id mihi gratissimum accidit, quod intelligo, constantem  
ac perpetuam esse vestram erga me benevolentiam, qua  
me praesentem olim amplexi estis; sed mirifica etiam  
laetitia me adficit pietas vestra erga musarum sedem,  
quam patriam mihi contigisse, glorior et, ut omni tem-  
pore bonis omnibus adfluat, deum quotidie precari so-  
leo. Quare nec fieri potest, quin summopere placeat  
consilium vestrum, publica pompa ac sollempni religione  
exoptatissimum diem celebrandi, idemque animum me-  
um ita commoueat, ut vestrae voluntati, praestantissimi  
viri,

DIXIV



viri, quam honori mihi esse, scio, vehementer cupiam satisfacere vobisque, quam grata mente vestra in me studia prosequar, ore vultuque hilari declatare. Is vero, quem haud ignoratis, rerum nostrarum status efficit, ut carere, me oporteat, summa ista voluptate, cuius certissima spes me ceperat, antequam funesto bello cum Germania fere omnis; tum felicissima alioquin provincia, in quam ex vestra litterarum officina euocatus fui, coepisset flagrare. Nec dubito, quin ob hanc caussam, magnam certe et iustum, me excusatum habebatis, modo si cogitaueritis, non voluntatem, quam, testor, ad praestandum vobis obediendi officium paratissimam esse; sed potestatem, ea, quae iussitis, exsequendi; siue potius obtainendi, quae ipse adpeto, in me desiderari posse. Cogar igitur abesse isto die ab illustris societatis vestrae coetu et a iucundissimis spectaculis vestris; nec tamen communis calamitatis acerbitate auocari me, patiar, a pietatis officiis, quae, scio, me Ienensi academiae debere, quae suscepit me, aluit, fouit liberaliter, prima ornauit. Vestro exemplo, carissima capita, illustri certe et ad excitandum aliorum imitandi studium maxime idoneo, ductus inflammatusque, gratulabor illi de natali die ducentesimo, quo maius beneficium ab immortali deo vix expeti potest, measque cum vestris



vestris coniungam preces, vt sacra secularia ei fausto  
ac feliciter eueniant: vt suis ornamentis suisque decori-  
bus quam diutissime frui, perget: vt ab omni casu tri-  
stiori tutâ sit: vt doctorum celeberrimorum, qui nunc  
gloriam eius nominum suorum fama et meritorum ma-  
gnitudine confirmant ac latius proferunt, vita sit lon-  
gissima felicitasque maxima ac perpetua. Praeterea ve-  
straee societatis salutem, cum qua ipsa litterarum ele-  
gantiorum salus tam arcto vinculo cohaeret, vt neutra  
ab altera diuelli queat, sine fine continuandam ac nouis  
gloriae incrementis augendam, deo commendabo. Quod  
superest, me in eorum numero esse, vt vobis persua-  
deatis, qui a vobis, eruditissimi viri, amari cupiunt,  
vestrique collegii honori quam maxime student, vehe-  
mentius rogo, meque ad quaevis officia, quae vos a  
me exspectare, intellexero, paratissimum fore, polli-  
teor. Agite felicissime. In academia regia Georgia  
Augusta, idib. ian. ann. christian. CCCCCCLVIII.



ILLVSTRI  
SOCIETATI LATINAЕ

IO. DAVID MICHAELIS

PHIL. D. ET P. P. O. IN ACADEMIA GÖTTING.

**V**tinam per haec Germaniae tempora, et nostra,  
liceret, vestrae interesse laetitiae! Venirem pro-  
fecto, animumque, aliis negotiis relaxatum, non illa  
solum pompa certaminibusque eruditorum, sed vestra  
maxime consuetudine pascerem, omnesque vestras ho-  
ras, quas ex publico decerpere liceret, meae vindic-  
carem voluptati et vtilitati. Certus de vestro in me  
animo, diu vos colui, colamque absens; sed praes-  
entibus perfui mirifice gestio. Nostis autem, quae  
per has regiones ierit calamitas, quae antequam trans-  
eat, Goettingam nec pie, senator hoc anno acade-  
mia, nec prudenter vel per paucos dies relinquere  
possum. Non omnia memoriae, felicitatique semel  
inuenta iterum inueniendi, sed multorum annorum  
labores ignis materiae credimus, quotquot his litteris

E

ope-



operam damus, propter quas vester sum. Has nostras maximas opes deferere, bellique casibus obiicere, intutum. Ita tamen persuasum habete, animo me piisque votis vestris feriis interesse: vtque aliquando aliquis ex meis posteris, pacata et florente Germania, tertia Ienensibus gaudia praesens gratuletur, (quod faciet, si meae sit erga vos pietatis heres) dignusque sit, qui a vestro inuitetur collegio (illud enim vigeat, multaque dicat carmina secularia) mihi pene magis quam vobis precari. Goetting. prid. cal. Febr. CIOIOCCLVIII.



CELE-



CELEBERRIMAE  
SODALITATI LATINAЕ IENENSI

S. P. D.

B O E H M I V S

PHIL. D. ET P. P. IN ACAD. LIPSIENSI

Dénum nudius tertius peruenit ad me epistola ve-  
stra, viri excellentissimi, clarissimique, quam-  
uis scripta ea iam die secundo Ianuarii, plena bene-  
volentiae, ac propensissimae, in me, voluntatis. At-  
que illa quum sit vna et publicae felicitatis gratissima  
nuntia, verbis non possum satis exprimere, quantam  
animo voluptatem meo adulterit. Ego vero arctissi-  
me amplector hunc tantum tamque singularem, erga  
me, amorem vestrum, dilectissimi sodales, quo factum  
est, vt me, ad secularia gaudia, verbis conceptissimis  
euocetis. Quippe in eo est academia Ienensis, felix in-  
geniorum parens, vt hoc ipso anno, hoc, qui immi-  
net, mense februario, nouum seculum condat, nouas-  
que spes et vota concipiatur. Quam vellem, amici, tali  
tempore, tam fortunato rebus vestris, ac litteris ipsis,  
potissimum vestro inesse choro, inque summae laetitiae  
societatem venire! Ea enim est mea, in Ienensem aca-  
demiam, in vestrum coetum, reuerentia, vt certe in

E a


hac



hac nemini homini concedam : ea in me humanitas  
v  
estra, quam demereri officio aliquo lubenter velim.  
Iam vero quando non datum est, per fatorum acer-  
bitatem, quibus res nostrae premuntur, ad vos quidem  
hoc tempore excurrere, atque interuenire laetitiis, in  
sinu validissime gaudeo, votaque candidissima, pro sa-  
lute academiae, pro sodalitatis perpetuo flore, nuncupo.

Gaude, docta cohors, Latiae decus omne Camenae,  
Laeteturque suis clara Salana bonis !

Ita secularia sollemnia, plaudentibus musis, peragite,  
mihique fauete. Scrib. in academia Lipsica, d. x x v i i  
Januar. M D C C L V I I I .





ILLVSTRI

## SOCIETATI LATINAЕ

S. P. D.

ACHATIVS LVDOV. CAROL. SCHMIDIIVS

IVR. DOCT. ET SERENISS. SAX. COBVRG.

DVCI A CONSILIIS

**A**cademiae patriae, quae me olim aluit ac formauit,  
tantum abeſt, vt memoriam deposuerim, vt eam  
potius maxima cum voluptatis ſenu quotidie reco-  
lam. Quam ob rem, perhonorifica inprimis veftra,  
fautores honoratiffimi, in uitatione adlectus pro eo,  
ac debedo, in veftrae communionem venio laetitiae ob  
constantem litterariae huius vniuersitatis florem, hoc  
potiffimum tempore, quo alterum academia noſtra, ad  
inuidiam celebratiffima, ſeculum feliciter absoluit, ter-  
tiumque, quod ei D. O. M. fauſtum fortunatum-  
que eſſe iubeat, bonis omnibus adplaudentibus in-  
greditur. Quae quidem ſollemnia ſecularia quum  
latina, quae me ſodalem eſſe, veftra voluit beneuolen-  
tia, ſocietas concelebratum eat, id, quod non exi-

E 3

guo



guo mihi honori duxi, a me postulaſtis, vt ſplendido  
veſtro pro perpetua academie noſtræ felicitate vota  
nuncupantium choro laetabundus interſim. Ne igitur  
officio, ab iſis litteris mihi impoſito, deeſſe videar,  
omnem, deo adnuente, dabo operam, vt impetrata a  
clementiſſimo, a quo totus pendeo, principe, abque  
catenatis, quibus diſtineor, negotiis venia, praefens  
vobis demonſtrem, quam impenſe de inſigni hac aca-  
demiae noſtræ felicitate deque latinae ſocietatis flore  
optimo illiusque in me fauore gaudeam. Valete ex  
animi ſententia. Dab. Coburgi d. xviii ianuar.

A. S. ccccclviii.



VIRIS



VIRIS  
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS  
ET CELEBERRIMIS

## SOCIETATIS INCLVTAE LATINAЕ

QVAE IENAE FLORET  
DIRECTORI EPHORO SENIORI  
ET SODALIBVS

S. P. D.


CHRISTIANVS FRID. SCHNAVSSIUS

SERENISS. DVCI SAXO-VINAR. ET ISENAG.  
A CONSILEIS ET EPIST. SECRETIORIEVS

**Q**uo maiori animi cum laetitia ex litteris, quas ad me, tanquam socium velstrum ante aliquot dies Vinariam perscribere non dedignati estis, intellexi, academiam Ienensem bono cum deo seculum aetatis suae tertium proxime instans festiuis gaudiis et splendidissima vestra concione esse celebratram: eo magis doleo de mea infelicitate et absentia, quae me publicis his sollemnibus, id quod tamen



semper in votis habui, nunc interesse, satis acerbe prohibent. Missus enim a serenissimo duce primis diebus Nouembris a. p. in hanc patriam vrbem, proh dolor! belli calamitatibus cum tota prouincia, quanta quanta est, oppressam et deuastatam, negotiorum ibi per tractandorum grauitate et multitudine totus adhuc retineor, ut mihi in praesentia nihil amplius relictum sit, quam vobis, viri amplissimi et celeberrimi, de futuris his gaudiis gratulandi gratumque pro vestra humanissima vocatione animum testificandi, sola facultas. Dab.  
Isenaci d. xviii Ian. ccccclviii.



VIRIS



## V I R I S

EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRAECELLEN-  
TISSIMIS, NOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS

SOCIETATIS LATINAЕ,

QVAE IENAE FLORET,

DIRECTORI, EPHORO, SENIORI

AC SODALIBVS RELIQVIS

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS GRVNER

GYMNAS. COBVRG. PROFESSOR

Quod ad celebrandos cum incluta societate Latina  
seculares almae Ienensis academiae inuitare me  
humanissimis literis dignati estis, celeberrimi ac praef-  
stantissimi viri, gratissima mente agnosco benignitatem  
vestram. Et quam vellem, venire ad tempus consti-  
tutum, praesentique declarare liceret et probare aca-  
demiae pietatem meam, societati fidem et obsequium,  
vobisque singulis obseruantiam, officia, studium! Sed,  
quum caussis non leibus impediatur omnino, quo mi-  
nus hoc tempore domo abeam; ignoscetis fortunae  
meae, quae morem gerere honestissimae voluntati ve-



straे me non finit. Vota igitur, quae præsens, si quidem licuisset, nuncupaturus fuissim, absens suscipiam, atque pro salute non solum academie, in qua annos sex prope tatos et discendo et docendo egi olim suauissime; sed pro incolumitate etiam societatis latinae, cuius mihi caritatem nullam vñquam tempus adimet, preces ad deum fundam ardentissimas. Hoc enim vobis persuadeatis velim, me societati latinae non minus, quam ipsi academie celebritatem perpetuam, gloriā immortalem precari. Valete, celeberrimi ac præstantissimi viri, societatis latinae et academie Ienensis ornamenta ae robora; meque, vobis addictissimum, fauori vestro, quod facitis, nunquam non commendatum habete. Dabam Coburgi, a. d. xiiii cal. Febr. A. C. N. ccccclviii.



SOCIE-



## SOCIETATIS LATINAЕ

DIRECTORI EXCELLENTISSIMO, EPHORO CON-  
SVLTISSIMO, SODALIBVS CLARISSIMIS  
NOBILISSIMIS DOCTISSIMIS

S. P. D.

IOANNES FRICKIVS

GYMNAS. VINAR. CORRECTOR.


Quo plus honoris mihi accessisse, intellexi, a quo tempore, in nobilissimam societatem vestram, communibus suffragiis, receptum, me sodalium honorariorum ordini adnumerasti: eo maioris aestimo, quas, datis ad me litteris humanissimis, fecisti, voluntatis in me vestræ singularis significationes. Quum enim, ne inter tot laetissimas voces, quibus aures propediem circumsonabunt, vestræ non exaudiantur vestraque vota solempnia desiderentur, iunctis conspirasti mentibus ad sacra altera academiacæ secularia, quae in IIII. non. februar. incident, pie concelebranda: tum, quae vestræ est benignitas, me quoque socium ac testem tantæ musarum Ienensium laetitiae exspectatis et vultis, ut in-

com-



communes plausus veniam publicisque votis mea so-  
ciem. Hoc nomine gratum vobis profiteor animum et,  
quum suauissimis vestris litteris veniendi necessitas im-  
posita fere mihi videatur, venturum me, significo, vbi  
per occupationum publicarum et valetudinis rationem  
licuerit. Ut dicta académiae sollemnia, deo prolixe fa-  
uente, laetum fortunatumque, vti initium; sic exitum  
habeant, ex animo precor; vos vero, quem hoc ipso  
mihi declarastis, fauorem vt conseruetis omni tempore,  
etiam atque etiam rogo. Vinar. xiii calend. febr.

M D C C L V I I I .



CAR

# CARMEN SECVLARE


SVO PLVRIVMQUE SODALIVM  
EXTERORVM NOMINE  
**SOCIETATI LATINAE**  
DICATVM

IO. FRID. SCHOEPPERLINO

LYC. NORDL. RET. COLLAB. ET DICTAE SOCIET.

COLL. HONORAR.

NASCERÉ



E S T A L I U D O R

MVTAEGOZ AVTOMATILOVE

ЗИМОИ МУЗОВЪИ

НАКИТАЛ ИТАРУДОЗ

MVTAEGOZ



NASCERE dimidio quaqua venerabilis orbi,  
Immensis lapsus spatiis, atque effue circo,  
Praeuertens rapido Veneremque Hermem-  
que meatu,

Et precibus properata piis sol lumina redde.  
En oritur, sed splendidius non ocyus, Eos,  
Vela tuis rubicunda viis, textosque tapetas  
Praetendit, croceoque ignis distinguit amictu.  
Luxit flammiuomus toto non pulchrior anno  
Phosphorus, axe ruit metuens te sidere vinci.  
Iam premit auroram sidus comes, assidiusque  
Phoebe, satelles adest, tanti praenuntius ortus.

At



At tu, dum moderaris equos, pia gaudia frenas,  
Suspensisque rotis et spes suspendis auaras.  
Nen ita stipatis foribus certamine longo.  
Mane salutatum stat pressa potentis amici  
Turba Quiris incerta, boni laudator et actor,  
Turba Syracusio veniens de litore, Gallus,  
Allobrox, Vmber, Picens, Lucanus, Achiuss,  
Afer et Eliacae non vltima gloria palmae.  
Limina circumneunt, primique immittier optant,  
Audiri cupiunt, et consulis otia damnant.  
Iam nunc cäeruleo Thetidos consurge cubili,  
Et muni votisque viam, spebusque clientum.  
Fallor, an euibrat radios, solemque reducit,  
Nubibus infidis rutilumque intermicat autum,  
Et tenerum lustrat face festa flammifer orbem.  
Nimirum te, Ioua, dies noctesque loquuntur,  
Qua tellus liquido circumnat aequore solem;  
Qua sol, loricam bis seno sidere textam  
Cinctus, circumagit candentes terga quadrigas,  
Siue polos versus per pura euixerit orbem;  
Seu ruat aetherium per iter, seque aequore mergat.  
Nil adeo inuisum foli, loca nulla plagarum  
Nec lucis, nec vocis erunt expertia diae.  
Quin adeo splendore iacit per inania festos

Com.



Communesque ignes sacrat, velut augur Apollo.

Vix super Eeos montes caput egit honestum,

Depressis radios vbi figit vallibus, humorem

Hesternum calido quum pectore totus anhelat,

Et praefultoris vaga quum vestigia torret.

Excitus ecce pedum vicibus consurgit in altum

Puluis et, ad terram recidens, ea signa reuerrit.

Iupiter ipse sinu, sudo sic aere, numquam

Descendit terrae, quum iam complexa gemellos

Deflexura parum solis via fugit, et inter

Cancrinas haeret chelas, penetrabilis aestu.

Sic terrae ad cultum sese demisit Olympus.

EST, qua Sala cauo prohibet discrimine montes,

Et felix sese insinuat conuallibus aruis,

Oppidulum, Iena est, clementi subdita cliuo,

Cui fama excelsas super ipsa cacumina turres

Arcibus impositas, monimenta, tropaea, triumphos

Digno natorum natis imitamine struxit.

Hanc, dum corruerunt amplissima regna, nouisque

Interitu fecere locum, sub numine Iouae,

Per lustra exoriens sol quadragena tuetur.

Et noua successisse illi nunc culmina gaudet,

Tan-

Tantum est praesidium aduersis academia rebus!  
 Sint propria haec, sint perpetua haec, dum corruat orbis,  
 Sustentacula piae diuinitus edita Ienae!

ILLE ego, qui quondam felice moratus Iena,  
 Auribus edidici bibulis lenimina vitae,  
 Et sapiens operis ieci fundamina nostri,  
 Iam memini, concepta mihi tum figere vota,  
 Ut supereret duplum secura academia faeclum.  
 Audierant Musae mea vota precesque latinae,  
 Omen id acceptum memini; rata vota precesque!  
 Damnatus voti, fato disiunctus ad Egram  
 Quamquam laetitiae seclusus sede ago vitam,  
 Iubila vestra meis miscebo, et carmina pangam.  
 Vota soluturo Clio, pia musa, fauebis,  
 Te duce FRIDRICI monimenta perennia discam.  
 Partem aliquam, venti, Ienae referatis ad aures!

SED vix ingressum Ienae memorare triumphos,  
 Et cathedra partos humanae mentis honores,  
 Exterrent reuocata animis bella, horrida bella,  
 Et coiens de strage virum lato aquore sanguis,  
 Quem glacies liquefacta suac nunc reddit arenae.  
 Aera ploratique et femineo vululatu



Completum tuba terrisonis cit Martia turbis,  
 Et litui toruo violant audita fragore.  
 Verberibus repetita sonant causa tympana motus;  
 Distinguunt curtam peditis fera classica noctem.  
**D**ecubitu surgunt omnes, aquilisque refixis  
 Emotus graditur totis exercitus alis,  
 Et trucibus pauidas armis circumsohat vrbes.  
**C**onsertis stant arma armis, fixusque viro vir,  
 Lectaque de multis numero sine millia regnis  
 Vna Pannoniae gens, et contermina versus  
 Occiduum solem induitur tota Illyris arma,  
 Atque Hunni feritate vaga, duroque Bohemo  
 Armigeri comes est natio; vicina Moraui;  
 Sauromates conto melior, Brennusque tonitru,  
 Et Gothi, Gallique leues, et Dalmata miles,  
 Certant illatis reduces concurrere signis.  
 Nil moueor. Decreta suis sunt praemia musis.  
 Caetera, diuitiae Crassi, Mariique tropaea,  
 Chartago turrita, decus bimarisque Corinthi,  
 Victaque romanis opibus prouincia, nomen  
 Asiatici, Numidae, Dacique Afrique datura,  
 Omnia sunt hominum tectis obnoxia furtis,  
 Iuges bellorum fontes, caussaeque malorum,  
 Cuncta sua, quae mole ruunt, nisi caelifer horum

De

De tenui appendit filo Iehoua ruinam.  
 Sed mentis cultura bonae, fetusque vigentis  
 Ingenii, sed iudicii florentis acumen,  
 Atque laboratae dotes, et pignora mentis,  
 Haec vti Musicolis tranquilla mente parantur,  
 Sic neque bella timent, metuunt neque tempore perdi.  
 Qualis, vt Ionio venti quasi viribus vnis  
 Conspirant lateris tentare pericula fortis,  
 Fluctus vbi fluctum premit, vnda vbi subruit vndam,  
 Mutuaque oppositas feriunt mala verbera rupes,  
 Sedibus antiquis stat Leuca ignara moueri  
 Contra, nec fluctus frangunt, franguntur at ipsi.  
 Talis et insanis versata academia rerum  
 Vorticibus, tentata suo atque exercita fato,  
 Vitam libera agit, caeli secura fauentis,  
 Et vocat incolumes ad gaudia certa Camoenas.  
 At quanto melior Sparta, quam moenia nulla  
 Vrbibus infestam Graiis sepisse, Laconum  
 Pectora duratis animis munisse feruntur.  
 Hi sunt arte animi culti, hi sunt pectora dextrae  
 Lege Lycurgea virtuti incocta gerentes.  
 Est animus recti seruans, rigidusque satelles.  
 Hoc schola vel bellis muro firmatur aheno.  
 At quanti seruare animis oracula castis,



Quæ Cumana olim, coecis innecta tenebris,  
 Vnus cognouit, submota plebe, decemuir;  
 Tarpeiaque sedens romanus Veiuīs arce  
 Fulminibus totum trifidis exterruit orbem.  
 Heu! quanti sacris et relligionis honori,  
 Inseruisse fuit, duraque tyrannide solui!  
 Quis res FRIDRICI gestas hoc carmine pangat?  
 Quis genus omne operum canat, Herculeosque labores,  
 Frigora, perfidiam, decoris quoque damna, catenas,  
 Quis tantas rerum moles aduoluat in vnum?  
 Promtior hiberna deponere Pelion Ossa.  
 Non HVNC papicolae castris trahit orbita culpae,  
 Non HVNC exarmat simulati formula cultus,  
 Monstrum horrendum, informe, hirtum, cui lumen  
     ademitum.  
 His pius insidiis, hac inuitante caterua  
 Elabi tentat, belloque petitus vtrinque  
 Mauriti Carolique armis, sacra nostra vel armis  
 Ipse paludatus martyr, precibusque tuetur.  
 Decipiunt multas pacis ludibria mentes,  
 Et fraudis noua forma placet, Viteberga Lutheri  
 Exheres, DVCIS immemor, *interimistica* seruat  
 Sacra, placet blando obsequio lenita tyrannis.  
 FRIDRICO non digna suo Viteberga fauente

Caesa-



Caesare, Mauritio cedit, ducis **H V I V S** alumno  
 Et nunc *elector* seruat nouis ossa Lutheri.  
 Haec **T I B I** prima fuit condendi caussa Lycei,  
 Fundamenta scholae, **F R I D R I C E**, ut dignior aras  
 Stragibus humanis immunes praestet Iena,  
 Et sacra doctoris capiat cimelia magni.  
 Quam bene conueniunt **D V X** atque academia Ienae!  
 Quae **D V X** propugnat castris, haec dogmata nostris  
 Annos bis centum iam nunc sonuere cathedris.  
 Tantum si potuit sacris decus addere nostris,  
 Vnde concitum instituens academia ciuem,  
 Et ferere immensam ventura ad saecula messem:  
 Quis neget arbitrio Iouae succrescere Ienam,  
 Qui frugem humectat, cuiusque adolescit in **U M B R A**  
 Messis, et indigeno flauis sole aret aristis.  
 Humano generi prosunt, ea sacra professi,  
 Exemptis animo vitiis, qui tramite recto  
 Augustam ire docent verae virtutis ad audem.  
 Quis, si vel Xantho Phryx, vel Geta, Getulusque,  
 Aemulus indigeni veniat sub scuta leonis,  
 Saeuiat in placidi subsellia candida Phoebi?  
 Saeuiat humano generi, qui saeuit Ienae,  
 Quae de prole virum tota indefessa meretur.  
 Quis non eiuret rabiem pleno ore ferinam,



Et laxata truci Mahomethis milite frena?  
 Quis teneros vtero embryones excidere possit?  
 Femellas necet ense pari quis victor inermes?  
 Praecipitesque ruat fugientes, agmine iunctas,  
 Ferreus ex alto subiecta in flumina Tilly?  
 Quis messem auratis duro pede proterat aruis,  
 Quae seruire sibi nequiit, ne seruiat vlli?  
 Quis iuga aratorum trito de vomere raptos  
 Mactet, quis dominos horrentibus exigat agris,  
 Numina si vel sint Hecatombe digna litari?  
 Ecquis fructifera quum depulit arbore poma,  
 Detruncet grauidos antiquo caudice ramos,  
 Radicem excidat, damnisque enutriat ignes  
 Conceptos facibus, quas sacrae subdidit aedi?  
 I, qui formam hominis mentiris, o vrsa Lybistis,  
 Bruta sona brutis mandata, atque impera iniquis  
 Mancipiis, exscinde scholam, tristemque iubeto  
 Exulem ad extremam secedere Apollina Thulen.  
 Laurigeras merito capiti destringe coronas,  
 Mufarum agminibus consepta haec pulpita clade.  
 Non furis in nostras, (at quanti est vincere!) Musas;  
 In genus humanum furis, Heros, non tibi sunt hi  
 Hostes, quos metuis, nec ab his iniuria famae est.  
 Tartarico superest humani pectore sensus,

Qui



Qui vetet humano gladios de funere tingi.  
Cerritae potius dicenda ferocia mentis,  
Artibus ingenuis irasci, academica fulcis  
Semina adhuc ignota suis deperdere ferro.  
Hunc torui Nigrum ad flumen genuere leones,  
Vel lupa nutrierit mammis, Hyrcanaque tigris.  
Iam quibus obseruata modis, quo horrore relicta  
Pulpita difficili doctore loquacula dicam?  
Iam qua maiestate Magi! quae fama Brahmannis!  
Quod decus et Druidis fecere silentia Gallis!  
Nomine quo mactauit Alexandra Pelasgos!  
Quo decore accepta est academia sancta Platonis!  
Cessit Aristotelis soli grauitate Lyceo.  
Ecquam Cittico pompam peperisse Zenoni  
Vel Stoa, Diogenique cani sua dolia constant!  
Ergo fallaci Smerdi, indoctoque Calano  
Profuit antiquae natu insita opinio famae:  
His in tantorum fulgenti luce VIRORVM  
Impius illudet sacris impostor Athenis?  
Nempe scholae nobis quasi sunt Salomonia templia,  
Quas sacer augustas, operans bona, spiritus implet;  
Sunt Capitolini, camara interiore, recessus,  
Vnde sui oraclis redeunt interprete sensus;  
Sunt Areopagi, dicundi gloria iuris;



Sunt aegri celebrata modis delubra Mineruae;  
 Sunt vnae Sophies, post sacra renata, cathedrae,  
 Artium abunda penus, morum textrina proborum.  
 Illa bonum ciuem fingit, quas tractet habenas,  
 Haec docet, integrum vitae vel regis amicum,  
 Vel regem, quae cura homines virtute regendi.  
 Hinc qui puppe sedens clauum tenet, ipse patronus,  
 Quique haurit remex sentinam, debita sumit.  
 Qualis, vt hibernis auctus de montibus amnis  
 Accessisse sibi cumulos persentit aquarum,  
 Mole tumens, superat positas ad litora metas,  
 Egreditur ripis, operarum molibus instat,  
 Aggestas saxis terras deludit, et ultra  
 Vimineas crates surgit, vicique minaci  
 Inuehitur portis vnda, terrisque redundat.  
 Talis in extremas academia funditur oras,  
 Prouentuque suo terras fecundat amica,  
 Subiectumque suas vires emitit in orbem.  
 Hanc omnis prope miratur Germania matrem,  
 Sauromatae, Veneti, Cimbri docilesque Silesi,  
 Et Transiluani veniunt in iura Salanae,  
 Confluit huc Hunnus, Brennus, diuesque Polonus.  
 Munitur placidis contra fera praelia musis  
 Humanum pectus, domita feritate caninam

De-



Dedicit rabiem, crudeles ponit et iras,  
Si quod ad humanas formauerit haec schola leges,  
Sincerumque piae menti instillarat amorem.  
Namque Aganippeis Charites iunguntur amicis,  
Quae terris spreto multum indignantur amori,  
Sola in Apollinea sua munera sede locantes.  
Ipsae tranquilla semper regione morantur;  
Haec amat ingenio pollens festa otia Daphnis,  
Tibia seu pugnas canat, aut bona Massica plectrum.  
At bonus interea Martis certamina nescit,  
Et praesens alterna odit, quae signa per hostes  
Inferri iubeant signis, fera classica Daphnis.  
Hinc et ad Heptapylas Helicone habitasse Camoenae  
Dicuntur, nullo claras prope milite Thebas.  
Hinc plectro, fidibus celebres sonuere lyraque,  
Quae nisi dissidiis bellisque placere remotis  
Non possunt; vacuas poscit sibi Delius aures.  
Hinc Roma vrbe procul vixeré recessibus olim,  
Vrbano ab strepitu disclusa suburbia habentes,  
Atque insana fori conuitia deuitantes.  
Quin verum fateamur? amant pulchra otia Musae,  
Ascraeo caeli summa quae parte locantur,  
Quo non inuidiae locus est, non Martia surgit  
Turba, nec, adpellunt hominum de pectore fluctus.



Non igitur nostris praeclara silentia cantu.  
 Rumpuntur musis, caput his componit amica  
 Audire indocilis nox classica; signa receptui.  
 Immo autem his castris, (quamuis academia castris  
 Ensibus et telis, bombarda ac mortibus absit,)  
 His immo castris prodit quoque miles, ut ultra  
 Adpensum sapiat gladium: nam discit ab illa,  
 Quae ratio firmare yrbes et ponere claustra,  
 Metari castra, et loca commoda cingere vallo;  
 Quis modus, exstructas cuneis perfringere turrem,  
 Caecum cuniculis iter explorare cauatis;  
 Quae fraudes licitae, quo strategemate proficit  
 Cogere in exiguum turmas cingentibus agmen.  
 Huic referat lauros, muralem huic ipse coronam  
 Dux reddat, tribuatque scholae pia Roma triumphos.  
 Sic equus, id fatum, pergrande opus illud Epei  
 Fuderat extrema Troiae sub nocte viros et  
 Heroas, quos venter equi praegrandis habebat:  
 Nutrit ut armatos heroas et haec schola reddit.  
 Hac quoque consiliis adhiberi rite docentur  
 Belli, quid? quod et ipsa meret de laude dynastae.  
 Intersunt signis etiam, penetralibus istis  
 Qui dociles praecepta scholae didicisse fatentur.  
 Iam quis inhumano sic pectore saeuat excors,

Occi-



Occidere ut patrem cogat, cui debita vita est?  
 Impius aut gladio feriat genetricis adunco  
 Viscera, percussor quibus est nutritus amicis?  
 Nemo nefas non horret homo, vomicamque parentis  
 Damnat, quo Nero prima sui proh! stamina vidit,  
 Strinxit et in patriam cultrum ingratissimus aluum.  
 Num turba inuidet sacris armata lyceis,  
 Conculcetque malo pede vulgus templa, muli ceu  
 Qui, quum traxerunt nocituō spiritu inanes  
 Mammas, exterere incipiunt vacua vbera calce?  
 His contra imbutus studiis πολέμωσθος Ulysses  
 Miliē stipatus socio, rate vectus Hetrusca,  
 Sirenum ad dulces cantus obsurdiuit hospes,  
 Et miseris Circe mutatos reddidit artus.  
 Quid? quod Alexandro, Persas qui vicit et Indos,  
 Praeceptor castrense caput componit Homerus.  
 Sunt, qui diuinam iacent Aeneida ferreis  
 Suecorum Carolo visam iacuisse sub armis.  
 Sed vetus exempli lumen noua gloria vincit  
 Sideris, obscuris nubens monumenta tenebris,  
 Testor bella pius, quamuis tristissima bella,  
 Commendoque d̄vces fastis et nomine dignos,  
 Quorum sub grato tectos tutamine musas  
 Audit Leina memor, didicique efferre per orbem.

„Hoc



„Hoc ducis, inquis, opus. Sed quantum a milite  
 distat,  
 „Tantum animis huius, procerum clementia distat.“  
 Frustra es, delapsae tutus timidusque procellae.  
 Naturam cognosce. Ferae, quas forte Sabina  
 Obuius expauit silua sub nocte viator,  
 Ut veniunt tota ora recens de caede cruentae,  
 Mulcentur medicis accepta ad vulnera palmis,  
 Et tactu innocuo desaeuit dira cupido.  
 Solus cuncta fere per bruta vaferimus anguis,  
 Qua sublatus erat gelida, gremioque refotus,  
 Sanguine foedat humum sacro malefidus aluminus  
 Hospitis, incurrens bruto vel iudice poenam.  
 En! quam sublimi arce sedet, tibicine Iesu  
 Edita relligio bis senis structa columnis.  
 Velo non remorante adytis penetralibus ara  
 Eoa de parte patet, quo crimen asylo  
 Tollitur oranti veniam, cornuque tenenti.  
 His procul ara sacris mendax Eleaea facebat!  
 Hanc circa in cunctas protenditur area gentes,  
 Quas properanda trahat regnantis ad oscula Nati,  
 Qua virides habitant Musae, campisque recumbunt,  
 Sedula quas audit pubes, et pectora Christi

Fingi-

Fingitur ad cultum facilis, temploque paratur.  
 His vbi decurrit spatiis instincta iuuentus:  
 Anticipant sanctos diuini praedis honores,  
 Laetaque de nostris agitant praeludia sacris.  
 Quarum carceribus spretis vbi pondera terrae  
 Desidunt vitiosa, situ pereuntia longo;  
 Aut quos imperium saeui procul esse tyranni  
 Iussit, et ingenuas artes nescire coegerit:  
 Hoc calle exclusus nemo, ad deserta locorum  
 Deueniens, cultu prae signem adspicit ad arcem.  
 Callidus has artes peruidit apostata Caesar,  
 Tentans Christicolum de stirpe euertere gentem,  
 Construere imperium multo de funere strati  
 Cultus, et sacra lapsa reaedificare profana.  
 Hinc portentosum reseratur pantheon vrbe,  
 Septem quae vna suas muro circum dedit arces,  
 Constantinopoli rediit diis omnibus aedes,  
 Sopitaque diu feliciter igne fauilla  
 Deuoto impuris violata recanduit ara.  
 Verbenas adolescent alituras agmina flammam.  
 Mascula tura crepant vacuo pereuntia fumo.  
 Cornua condecorant fordae bouis aurea vittis,  
 Collaque decutient certae cessura securi.  
 Quin Soli inuicto comiti facit induperator,

Exem-



Exemplaque nocens infandum sancit honorem.  
 Stant impune diis monimenta, iacentque Iehouae.  
 Nequidquam, Iuliane, moues, frustraque laboras,  
 Dum positos reparas ludos, et restituis diis.  
 Protinus ergo tuo iussu schola clauditur omnis,  
 Obstructaeque silent dura proh! lege cathedrae.  
 Hac ratione vales, Caesar, dum conteris artes,  
 Vincenti similis, nisi Iouae caussa fuisset.  
 I nunc, qui hostiles proficisceris hostis in urbes  
 Pieridum sede illustres, victorue reuertis,  
 Ange salutiferas annona parcus arcta,  
 Subtrahe virtuti stimulos, alimentaque musis,  
 Pelle, minare, fuga, cape, vinci, caede cremaque,  
 At quoque, quo ducunt, in Iesum iniurius esto!  
 Hoc Sotere intacta manent Acheruntis ab orco  
 Templaque, centenaeque fores, atque atria Musae.  
 Si vel fressa crepans diducat hiantia caedem  
 Martius ora furor, vertunt in commoda bella,  
 Et Musis stabilitur honos, et laurea sacris.  
 Quanto, quae belli suspirauere labores,  
 Laetius exsultant terrae, dum pace fruuntur!  
 Splendidus ex gladiis redit a certamine vomer,  
 Hastaeque in falcem rectae curuantur aduncam.  
 Quid magnus latro? quid circumlata per Indos,

Tem-

Tempore non longo seruos, victore tropaea?  
 Graiugenum didicere artes, patriaque solutus  
 Barbarie, totus musas percalluit orbis.  
 Quid Romana armis rapido quasi flumine virtus,  
 Quae veniens vicit, nullo prope funera danno  
 Militis occisi victrix, res mira, redemit?  
 Quae vicit gentes, Pallas fuit; ipsaque victis  
 Profuit arte magis, quam bello defuit armis;  
 Conceptoque animis genio victore, sagati  
 Artibus ingenuis meruere stipendia ab ipsis.  
 Quid furor euersa Turci nocuisse putandus  
 Byzanto, fissaeque in partes orbis habenæ?  
 Damnatae exilio Musæ, quas Graecia laetas  
 Sola tulit, nocuae post plurima taedia noctis,  
 Hesperiam tendunt profugæ; Romaque receptus  
 Instituit Graecus ciues omni arte colonus;  
 Et nouus imperio surgens decor inde Latino  
 Dedocet acceptum Saracenis pectora damnum.  
 Sic annosa ilex ramos detonsa bipenni  
 Luxurians, animos et opes vel ab ense resumit.  
 Est sua flexanimis virtus quoque denique musis  
 Quae regat incertam plebem, Maurumque refingat.  
 Quae non ponat iners Demostheni, et induat arma

Graec-



Graecia suadenti? metuat metuente Philippum?  
 Fulmine quo permisceri tonitruque Periclis,  
 Et quae perculso detorta in pectore tela  
 Arcubus expertae refugis dicuntur Athenae?  
 Quantula quos motus posuit fabella MenenI!  
 Quam dicam AntonI vocem, Mariique vel armis  
 Fraudibus aut Cinnae meliorem? Nil moror illos,  
 Oris facundi monimenta tetrica, Gracchos.  
 Quas patribus mentes, equiti quas oris habenas,  
 Et plebi quae frena ferae non Tullius addit?  
 Quid memorem versu veteres summa arte poëtas?  
 Orpheo, morigerae cui cedunt montibus orni,  
 Qui cicurare feras, hydram exarmare veneno  
 Qui potuit, rapidosque Hebrei deludere cursus.  
 Quid dicam arguto neruis Amphione saxa  
 Mota loco? furialis ad haec quid ianitor aulae,  
 Cui centena anguis patulo ruit ore trifauci,  
 Cessit Atlantiadae mollis, posuitque furorem?  
 Attento steterunt Ixione membra rotaeque;  
 Dememinit Tityus, quos pauit viscere, coruos;  
 Et Danai natis aqua cessat cuncta perire.  
 Nam quo Roma malo populis toto orbe subactis  
 Imposuit victrix, vt sub iuga sponte coirent,  
 Attalus Attalicis vti fecit nomina donis,

Et



Et Nicomedis opes Bithynia diues equorum  
Cessit ut ex tabulis, Graiorum elementa futuri  
Imperii, nisi mellifluo dea vicerit ore?  
Haec hominum victrix, facundia iuncta poësi  
His pergit mulcens Academi vincere siluis.  
Martis ab infesto tutissima IENA tumultu  
Exemplis experta suis, haec aurea firmat:  
**NON FORIS IMPEDIVNT**, Ciceronis ut omine  
dicam.

PER laetas tristesque vices, perque aspera rerum,  
Inter spemque metumque hominum, discrimina, belli  
Funestas facies, exantlatosque labores,  
Per fluctus fortis decumanos, auspice Ioua,  
Quae bis centum annis docet indefessa Camoenas,  
Iena suis iterum maturuit alma triumphis.  
Saxoniae augustum emporium, sacraria diuae  
Pallados, afflictæ venerandum mentis asylum,  
Communis iuuenum mater, dexterima nutrix,  
Plenaque multimodae ferraria disciplinae,  
Humani generis solamina et alterae Athenae,  
Gloria FRIDRICIS, academia prima Lutheri.  
Ergo age Saxoniae victrix regina triumphum!  
Relligio, Musae, Charites ex hoste feroci



Perdomito, multos iam nunc meruere triumphos.  
 Lauru cinge caput, capiti grauis ista corona  
 Immineat: iuuenum sunt agmina tota TVORVM.  
 Iamque incit auri paterae fulgore: probata  
 Sunt Iouae concepta diu pia vota Camoenis.  
 Exornet carpenta citis inuecta quadrigis  
 Sella triumphantis pondus sensura curulis:  
 Concilium video PATRVM, PROCERV MQUE senatum.  
 Sceptra premant digitos, aquilis decorentur eburna:  
 Haec est magnifici Ienae RECTORIS imago.  
 Desfluat explicitos humeris toga picta per orbes:  
 Sunt pacis dulces inter media agmina fructus.  
 Palmata pectus tunica vestitor: Ienae  
 De blande captis animis victoria certa est.  
 Non fremit ad currum vinctus victoribus hostis,  
 Nec praesaga vicis, damnat rota versa Sesostrem,  
 Neue hunc anticipet viro Cleopatra triumphum.  
 Hos namque arte graui percusso, foedere certo  
 Conciliauit amor, positis hostilibus iris,  
 Non famae maculam, mala nec fastidia passos.  
 Non agit alterius Iena in ludibria pompam.  
 Iam Capitolinae propior, praecunte SENATV,  
 Adscendit virtus aedi, sua vota solutum:

Est



Est nobis Ioua omnipotens, Musegeta Iesus.  
Expugnatorum monstrant simulacula locorum:  
Iena docet totidem, quo habet Germania ciues.  
Coena triumphalis laeto decreta Latino  
Instrutor, genioque merum fundatur amico:  
Posteritas habeat, qua dulcia fercula libet,  
Et puras, qua gustet aquas, post saecula bina,  
Labra Caballino felix dum fonte lauabit.  
Ergo age IENA tuum, quamuis vndantibus armis,  
Quem contra neque bella valent, age IENA triumphum.  
Sed cumulo festos consummant gaudia plausus,  
Sepositis longe castris, procul inde remotis  
Hostibus, ut recolas populi pia sabbatha sancti.  
Sint animis placido sacrata silentia cultu,  
Quaeque decet Musas requies sit propria festo.  
Absint cornigerae nullumque Mimallones ausint  
Euohe Bacche! canum tristissima fata, sonare,  
Bacchantesque fero vicis discurrere vultu.  
Multisoneae miscete modos in carmina Musae!  
Tibia FRIDRICI versu monimenta prehendant!  
Iam Phrygiis funesta modis efferuite bella,  
Dorica commotas mea carmina ponite mentes!  
Exsilit Aeolico laetus pede ciuis, Athenae!  
Vos nunc, terque nouem pueri, totidemque puellae,



Praetextam induit vixdum, crudaeque marito,  
 Ite per augustas ad Apollinis ite plateas,  
 Summa Palatino quae structa cacumine surgit,  
 Et saecli alterius fini superaddite carmen!

TE, quem disrupti fuderunt aethere caeli  
 Expressam patris effigiem, Mariaeque sub aluo  
 Ad tenues serui sortes ignobilis altum;  
 Te, qui factus homo, docuisti iussa parentis  
 Sedulus interpres, frater dulcissime, fratres,  
 Nostraque sanxisti sapientum pulpita praeses;  
 Te nostro venerande choro, te Christe vocamus,  
 Qum decies iterum denos stat Iena per annos.  
 Dicite io! Musae, vos respondete: triumphe!

FRIDRICVS quanto seruata oracula rigore  
 Vel Carolo coram, Augustae confessus in vrbe!  
 Vincula dura trahit martyr, membrisque reuinctus  
 Caesaris ardentes precibus compescuit iras.  
 Non HVNC propositi certum rectique tenacem  
 Mouerunt adeo metuenda pericula vitae,  
 Insignis septemque-virum peritura potestas.  
 Tanta DVCI contra mortem medicamina constant,  
 Et sua de sacris in carcere quinquennali,  
 Indignam spectans censuram, robora sumit.

Dici-



Dicite io! Musae, vos respondete: triumphe!  
 His ita constrictus vinclis, Caroloque tumente,  
 Obstupeo referens, almae meditatur Ienae  
 Nullis auspiciis prope, fundamenta locare.  
 Sic, vti non merita cruce nata ecclesia Christi est,  
 Succreuit **DVCIS** indigno quoque carcere Iena.  
 Tum quis ab humanis rebus praedisceret augur  
 Auspicio Ienae felix? quis saecula bina?  
 Quis non ista tremens repeatat vestigia Iouae,  
 Nostra quibus sancita salus, firmataque lege est?  
 Dicite io! musae, vos respondete: triumphe!  
 Mauritius suscepta (dei quae prouida cura est,)  
 A nostris Carolum contra, conuerterat arma,  
 Quum res in peius ruere, et fortuna potentii  
 Plus vltra progredi Carolo defessa negauit.  
 Excidit inuito patre pridem sorte Philippus;  
 Cesserunt adeo imperii moderamina fratri.  
 Ambo diuini cernas momenta fauoris!  
 Explicitis needum studiis immortuus **HEROS**  
 Consilii heredes patrii duo pignora linquit.  
 His licuit **DVCIBVS**, bello turbisque sepultis,  
 Sacrata de sede nouis dare iura colonis.  
 Primum pacis opus Iena est academia: pacis  
 Prima elementa scholae certos redeuntia ad usus.



Dicite io ! Musae, vos respondete : triumphe !  
 Iam vix bis senis fluxerunt tempora lustris,  
 Curatum vt damno grauiore recruduit omni  
 Corpore vulnus, et ignis vtrinque vt plurimus arsit.  
 Ad mentem redeunt hostes, sacrisque minantur.  
 Annis Mars medium circumfremit inde tricens,  
 Humano exsaturans sitientia corda cruentum.  
 Intemerata manet, quae sanguine condita fuso est,  
 Damnis non experta suis ex Marte furores  
 Angitur auditu, fratrum miserata querelas;  
 Sed flammæ facibus globulisque superfuit istis.  
 Dicite io ! Musae, vos respondete : triumphe !  
 Nunc populis alma pax nascitur Osnabruca,  
 Qua musis sublatus honos, coramque negata  
 Libertas rediit sacris, et robur Athenis.  
 Digna haec, quam celebret Lutheri ecclesia festam,  
 Vix primum superans saeclum, quod pace superbit,  
 Ingressura etiam primum haec academia saeclum,  
 Communi antecapit plausu sua iubila denis  
 Ante annis, merito sic praelusura triumpho.  
 Dicite io ! Musae vos respondete : triumphe !  
 Iam redit exsultim laetantibus alter et orbis,  
 Gaudia de primo referens, superansque secundis.  
 Atque vna rediere DVCES, generosa propago,

(Quis

(Quis memorare duces possit, quin sciuerit idem,  
 Quantum p[re]a sacris misit FRIDRICVS honorem?)  
 ERNESTI de stirpe sati, quibus haeret auita  
 De pietate duplex secundo spiritus imbre;  
 Singula fulgentis clarissima sidera Ienae.  
 Dicite io! Musae, vos respondete: triumphe!  
 Pluribus ut constet Ienae sua gloria saeclis,  
 Protege, Ioua, DVCES alatis moenibus almos,  
 Et cinge ignito nostras carragine terras;  
 Successu decora PROCERVVM decreta regundis  
 Ciuibus, et vitae produc sacra stamina, seri  
 Ut redeant caelo carissima pignora Ienae.  
 In primis te propitium vocat haec schola numen,  
 Exoptata bees DOMINI moderamina nostri!  
 Qui pietate refert ERNESTVM, Ioua precamur,  
 Ut senio AVGVSTVS, CONSTANTINVSque tropacis  
 Intextus peplo mittatur ad astra perenni.  
 Tuque age, PRORECTOR plausus, omnisque SENATVS!  
 Qui vobis decuere velut de messe triumphi,  
 Hos agite Herculeo functi iugique labore!  
 Vt, quum messorem flauis inducit aristis,  
 Falce mala fruges demessae ybi horrea rumpunt,  
 Ruricola exhaustis fruitur sub messe periclis  
 Et meminit laetans hiemis tristisque procellae,



Et quod proscissis semen disseuit in aruis.  
 Ioua, probos mores docili largire iuuentae,  
 Defectoque annis senio da, Ioua quietem,  
 Rem, decus et prolem cunctis rectamque salutem!  
 Sic honor, alma fides, pax prisco iuncta pudori  
 Iustitia, humani sensus, neglectaque virtus  
 Inuisae redeant terris et foedera iungant:  
 Annus ut hic rediit reuoluto iubilus orbe.  
 Sic certus decies denos redit orbis ad annos,  
 Quum digni viuant hac relligione nepotes,  
 Tertia qui versu celebrant tua saecula, IENA!  
 Iena, vige multis posthac ex ordine saeclis,  
 Exemplum reliquis, votum quod praefet, Athenis.



PRO

# PRO PACE VOTVM

---

FERIIS CHRISTO RECENS NATO SACRIS  
NVNCVPATVM

ET AD

## SOCIETATEM LATINAM

SACRA ACADEMIAE IENENSIS  
SECVLARIA BREVI CELEBRATVRAM

TRANSMISSVM

A

DICTAE SOCIETATIS  
SODALI HONORARIO

O

G 5

Non



Non mihi Cretenses Iouis incunabula vates  
Commemorent hodie; sed notae in val-

libus Idae

Mendaces condant fastos, vinoque tu-  
mentes

Inflati venas, et myrrhae rore madentes,  
Aut pedibus plaudant, aut, si Trieterica Bacchi  
Sacra vocant, solitis euincti tempora fertis  
Pampineas agitent hastas, Euoëque sonantes,  
Per silvas, rupes, adituque carentia faxa

Prae-

Praecipitent cursum a). Fictas Aganippidos vndas,  
 Cirrhaeasque arces, parnassumque astra petentem  
 Verticibus, Musae taceant, neque Delphica Phoebi  
 Templa vel Actiaco celebratos littore ludos b)  
 Inflatis buccis referant, vt pristina constet  
 Gloria numinibus, quae celsis intulit astris  
 Caeca supersticio, Phariaeque insania terrae c).

Ipse adeo Phoebus, siue inter picta suorum  
 Agmina per Cynthum graditur, Dryopumque canentes,

Instau-

a) De sacris Bacchi Trietericis legi OVIDIUS potest metam. VI. 587. et seqq. Confer. VIRGILIVS IIII. Aeneid. 302. et seqq. Etsi autem VIRGILIVS L. VII. Aeneid. V. 389. OVIDIUS metam. IIII. V. 522. primam in τῷ Euoe syllabam producent, ultimam contra corripiant; idem tamen OVIDIUS metam. VI. V. 597. eamdem, quam ego, quantitatem eidem vocabulo attribuit.

b) Actiacos ludos fuisse ab Augusto institutos, post relatam de Antonio et Cleopatravictoriam, dubitat nemo. Ad hos ipsos ludos, vt Augusti auribus daret quidpiam, allusit VIRGIL. III. Aeneid. V. 280. De Apolline, ac variis eius cognominibus et figuris legi possunt scriptores, ab excellentissimo nostrae societatis latinae DIRECTORE, quem honoris causa nomino, laudati in adnotationibus multo utilissimis ad CELLARI antiquitates romanæ L. I. sect. I. cap. 12. Confer. NIEVPOORT in ritibus Roman. sect. III. cap. I. §. 13.

c) Quanta deorum apud veteres multitudo fuerit, vt nihil de HESIODI ac VARRONIS calculo dicam, ex PETRONIO tamen, elegantiarum pariter ac nequitiarum arbitro, satis supponere intelligi potest, qui satir. cap. 17. nostra, inquit, regio tam praesentibus plena est numinibus, vt facilius possis deum, quam hominem, inuenire.



Instaurat pro more choros ; siue ardua Pindi  
 Culmina, et hybernam Lyciam, Xantique fluenta  
 Deseruit, matris Delum, Pataraeaque templo  
 Visurus d) ; ponat citharam, qua Palladis ortum,  
 Aut cunas Bacchi cecinit, falsisque deorum  
 Prodigis ambas impleuit et obruit aures  
 Indoctae plebis. Quicquid vel Graecia mendax  
 Audet in historia, vel pleno praedicat ore  
 Roma vetus, mediis Lethes mergatur in yndis  
 Continuo, aut ultra Glacialis littora ponti,  
 Suppositasque polis terras, et inhospita regna  
 Afrorum, Thracumque, Austro bacchante feratur.

Ecce ! DEVS veram cum vero corpore carnem  
 Indutus, geminaeque simul commercia seruans  
 Naturae, quam perpetuo sibi foedere iunxit  
 In persona vna, de casta Virginis alio e)

Pro-

d) Legatur VIRGIL. ILL. Aeneid. v. 143, seqq. OVIDIUS  
*metam.* 1. v. 515. seqq. vbi locorum, a nobis commemoratorum,  
 fit mentio. Confer LA'CTANTIVS 1. *infit. diuin. cap. 7.*

e) Hac de re legendi sunt antiqui ecclesiae patres, ac prae-  
 fertsim ATHANASIVS, GREGORIVS *Nazianzenus*, LEO,  
 aliquique huius ordinis, qui praecipuum istud nobilissimumque  
 christianae religionis mysterium ab haereticorum telis defende-  
 runt, ac tuto collocarunt in loco. In hoc proinde mysterio,  
 quod ATHANASIVS μεγάλην οινοοπίαν τῆς ἐναρθρωπήσεως  
 adpellat, nullus iam relinquitur locus NESTORII συναφεῖς  
 σχε-

Prodiit in lucem, tacito dum sidera motu  
 Scintillant, mediumque tenet nox humida cursum.  
 Quisquis adest, prono veneratus corpore numen,  
 Laetitiae det signa suae, plenisque recentes  
 Effundat calathis violas, et sua via iungat  
 Carmina muneribus, quae nec Smintheus Apollo f)  
 Daphnidis ad cunas cecinit, nec musa Maronis  
 Est illo modulata die, quo Pollio natum  
 Suscepit, laetaque fores ornauit oliua g).

Quo-

τοχετικὴ καὶ κατ' ἀναφορὰν, ἐνοίκησιν, ἐνέργειαν, πρόσωπον.  
 Quare dum reliqui patres, ut BASILIVS in psalm. 41. tom. I. CHRYSOSTOMVS homil. 12. in Ioannem, voce συναφείᾳς vñ fuerunt, quam CYRILLVS semper euitabat, quod a NESTORIO inuenta et adscita esset, non sunt rapienda in peiorem partem eorum dicta; sed benigniore quadam interpretatione, quin eisdem crucem figamus, emollienda, immo ex aliis eorundem patrum locis illuftranda. Vid. CANVS in locis theologicis: PETAVIUS ad Epiphanium p. 205. et 244. MABILLONIVS de studiis monast. p. II. cap. 3. §. 3. LAMINDVS PRITANIVS libr. II. de ingen. moderat. cap. 2. libr. III. cap. 16. ac 17. ACTOR tractatus de recta legendorum patrum ratione; quibus merito atque optimo iure, praeter alios, addi potest elegantissimus scriptor vindiciarum aduersus sycophantas Inuauienfes cap. 9. p. m. 63. seqq.

f) Smintheum Apollinem, quem OVIDIUS *metam.* XII. v. 585. intonsum Sminthea vocavit, commemorat HOMERVS *iliad.* v. 39. et MACROB. I. cap. 7. Confer, STRABO XIII. p. 415. AMMIANVS XXII. cap. II.

g) Quid significet apud veteres τὸ σύσκιπε λιβερος, illi dumtaxat ignorabunt, qui graecis romanisque in antiquitatibus plane hospites ac peregrini, nondum didicerunt, quid sit apud illos



Quocunque adspiciam, purgato nubila caelo  
 Praecipitant *b)*, fugiensque nigrum conuoluit amictum  
 Somnus, et, insolitae miratus tempora lucis,  
 Cimmerias repetit latebras, notosque recessus,  
 Quos neque sol, neque luna videt; sed plurima noctis  
 Caligo, densisque vlmus latissima ramis  
 Assidue tegit, et cunctos immota per annos  
 Dirarum nidos fouet, occultatque volucrum *i).*

Iam venti posuere omnes *k*): iam panditur ingens  
 Caelorum domus, ac stellatis excita tectis,

Agmi-

illos τὸ ἐντιθένειν, cui opponitur τὸ ἀναιγεῖν; apud hos vero  
 τὸ exponere. Vid. BOSIUS antiquit. Graecor. part. IIII. cap. 5.  
 BRVNINGS compend. antiquit. Graecar. cap. I. Appendix IIII. ad  
 CELLARII antiquit. Rom. ab excellentissimo DIRECTORE  
 adiecta §. 12. Id vero, quod addidi de oliua, depromtum fuit  
 a consuetudine Atheniensium, qui, si masculus fuisset natus, do-  
 dum olea coronabant. HESYCH. in σέΦανον ἐνΦέρειν, at-  
 que ex illo MEVRSIUS Attic. lect. I. 10. et PASCHALIVS de  
 coron. V. 15. BRVNINGS loco supra laudato, cui elegantes, ac  
 dignas christiano subiunxit adnotaciones.

*b)* Sic VIRGIL. II. Aeneid. v. 8. seq.

Iam non humida coelo  
*Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos:*  
 vid. hellenolex. VECHNERI libr. I, §. 1. cap. 6. p. 66.  
*i)* Confer. VIRGIL. VI. Aeneid. v. 282. seqq. OVID. metam.  
 XI. 592. seqq.

*k)* VIRGIL. VII. Aeneid. v. 26. seq.

*Aurora in rosis fulgebat lutea bigis:  
 Quum venti posuere, omnisque repente resedit  
 Flatus;* u. τ. λ,

Confer. idem X. Aeneid. v. 103. et poëtae alii, quos laudat VECH-  
 NERS, loco paullo ante iam excituto p. 61.

Agmina densantur superum, aeternamque parentis  
 Aeterni subolem, quae nostra in carne videndam  
 Se praebet mortali oculo, mirantur in arctis  
 Depositam cunis, laetasque per aëra vōces  
 Ingeminant, miscentque choros, et plausibus addunt  
 Felices citharas, quas non vel Thracius Orpheus;  
 Vel, qui Cadmeam muris circumdedit urbem,  
 Amphion vincat; sed nec superare canendo  
 Ipse Linus possit, quamuis sit mater eidem  
 Terpsichore, Phoebusque pater *l).* Quid cetera multis  
 Commemorem? ingenti stabulum splendore coruscat,  
 Praesentemque D E V M , quem serui adsumere formam  
 Non puduit, monstrat pastoribus, atque salutem  
 Nuntiat humano generi *m).* Secludite curas,  
 Et posito gaudete metu, redimenda piorum  
 Agmina, quae moestis terrae latuistis in antris  
 Abdita, nec visura D E V M , nisi panderet I L L E  
 Occlusas caeli portas, pretioque soluto,  
 Rumperet antiquae communia vincula culpae.

En! C H R I S T V S , veterum quem sancta oracula vatum  
 Iam variis cecinere modis, sine labe pudoris

Natus

*l)* Confer. VIRGIL. eclog. IIII. v. 55. seqq. HORATIVS de arte v. 394. et seqq.

*m)* S. PAVLLVS ad Philipp. II. v. 6. et 7.



Natus adest! en! corporeo vestitus amictu,  
 Diuinumque tegens splendorem, ad moenia Bethles,  
 In praesepi, inter pecudes, mediasque tenebras  
 Noctis, et Aeoliae perfrigida murmura turbae,  
 Natura mirante, iacet n!) conuertite vestros  
 Huc oculos, laetumque hilari date pectore plausum,  
 O sancti patrum manes! descendit ab alto  
 ILL E polo, nostrosque adsumit corporis artus,  
 Q VI veteres purgans maculas, atque omnia tollens  
 Crimina o), Taenarii perfringet clausa tyranni  
 Ostia, et attonitum sua sub iuga mittet auernum,  
 Ut spoliis priuata suis, ac vincta catenis  
 Mors fremat aeternum, lacrimasque effundat inanes p).  
 Dum superare vobis arces, optataque dudum  
 Limina panduntur, claroque in lumine Numen

Iucun-

n) Vfus fui verbo Bethles exemplo PETRI LOTICHII libr.  
 I. eleg. 6. v. 23. Sic VIRGIL. libr. XII. Aeneid. v. 334. et  
 seq. ex graeca voce Θέραν latinam formans, cecinit:

- - - - - gemit ultima pulsu

*Thracia pedum, u. τ. λ.*

Quae autem hic loci de praesepi, de pecudibus, de noctis te-  
 nebris, ac superioribus in versibus, de stabulo attuli, de iis  
 legi cum fructu potest BENEDICTVS X. P. M. in erudi-  
 to suo tractatu de natali IESV CHRISTI, qui reperitur cap.  
 XVII. tom. x. operum, Roman. editionis an. C. D. C. C. L.

o) Videatur IOANN. I. v. 29. Confer. s. PAVLVS ad  
 Ephes. cap. II. v. 14. ad Colossens. cap. II. v. 13. seqq.

p) 1 Corinth. XV. v. 54.

Iucundam ostendit faciem, et sincera ministrat  
Gaudia, quae nullis possit comprehendere verbis  
Orator, patrias qui cinxit moenibus arces,  
Et cum Pellaeo ducebat bella tyranno q).

HO C duce, per totum florebunt aurea mundum  
Saccula, vera fides, ac fuci nescia virtus  
Incolet humanas, expulsis fraudibus, aedes:  
Non odium, non diuor erit, non mutua fratres  
Praelia miscebunt, irasque in funere ponent; r) iuv  
Sed ramis velati oleae, sanctaeque colentes  
Foedus amicitiae, puram sine crimine vitam  
Tradacent, positisque aris, placitura supremo  
Dona ferent Patri, quae non aequauerit villus  
Hircorum sanguis, vel caesi victima tauri s).

**H**OC

q) Oratoris nomine DEMOSTHENEM hoc loco intelligo, cu-  
ius orationem περὶ σέσταρον, et odium in Philippum, Macedonum  
Regem, non ante, quam anima deposita, extinctum, quis ignoret?  
De phras: bellum ducere, leges H̄EVINGERVM in dissertatione  
de perulgatoriis aliquot erroribus grammaticis, quam vulgavit  
reuerend. HALLEVERVS exercit. societ. latinae Ieneris, volum.  
I. p. 122. seqq.

r) Bellum Eteoclis ac Polynicis Thebanum, de quo exponit  
R. P. GAVTRVCHÉ in històr. poëtic lib. II. cap. 9. PETAVIVS  
ration. tempor. part. I. lib. I. cap. 10. scritibit, accidisse, si veteri apud  
CLEMENTEM Alexandrinum chronologo fides habeatur, annis  
ante dirutam Tróiam septem ac triginta. Mentionem Eteoclis  
ac Polynicis facit PINDAR. olym. od. II. v. 73. seqq. OVID.  
VI. trist. v. 319. seq. III. trist. eleg. 3. v. 63. seq. V. trist. eleg. 5.  
v. 33. seqq. Sed hoc in arguento primas obtinet STATIVS in  
Thebaide.

s) S. PAULLVS ad Ebraeos cap. VIII. v. 13. ac 14. cap.  
XII. v. 4.



HOC facilem praestante viam, certumque ferente  
 Auxilium, discent homines contemnere fluxas  
 Crassi diuitias, veniam concedere culpis,  
 Solari tristes, aduersae nubila fortis  
 Aequo ferre animo, non circumrodere amicos  
 Dente Theonino, feruentem, ac tela parantem  
 Consilio frenare iram, succurrere lapsis  
 Alterius rebus, fasces, sellasque curules  
 Despicere, ac mollis non quaerere commoda vitae. t)  
 HVIVS in aduentu iam nunc et Delphica templis  
 Responsis horrent Phoebit, et Dodona timore  
 Haud paruo trepidat, Nilique domestica lugent  
 Numina, nec possunt humanas fallere mentes u).  
 Ac velut, aequoreis dum matutinus ab vndis x),  
 Exoritur Titan, claroque per aera curru  
 Inuestus, totum radiis complectitur orbem,  
 Non celeri petit antra gradu, depulsaque cogit  
 Nubila, quae gratum rebus rapuere colorem:  
 Sic, postquam veniet lustris labentibus aetas,  
 Qua C HRISTVS caeleste super Garamantas et Indos  
 Proferet imperium; falsorum victa deorum  
 Agmina diffugient, vitiisque ab stirpe recisis,  
 Purior in cunctis disperget lumina terris  
 Rellgio, et casto faciet sollemnia ritu  
 Vota, DEVVMque colet verum. Simulacra peribunt

Et  
 r) Legesis M ATTHAEI cap. v. vi. vii. ex quibus nonnulla  
 Christi praecepta exprimere sum conatus.

u) Vid. PLUTARCHVS in libro de Pythiae oraculis. Confer.  
 CICERO ii. de diuinat. cap. 56. et 57. BOSIVS antiquit. Graec.  
 part. i. cap. 9. et seqq.

x) Vid. hellenol. VEICHNERI lib. i. part. ii. cap. 9. de adie-  
 ctui enallage p. m. 209. seqq.

Et Iouis, et Veneris, quam Cous pinxit Apelles:  
 Iunonis sacra nemo feret, Saliisque fugatis,  
 Martis fama cadet: Berecynthia mater in vndis  
 Mergetur, queis Iota fuit, nec iam amplius ulli  
 Cymbala pulsabunt Galli: dabit ampla ruinam  
 Bellonae domus, ac manibus post terga ligatis  
 Nuda pedes, dispersa comas, et pallida vultum,  
 Prisca supersticio, Capitolia ad alta, triumpho  
 Ducetur meliore, choro plaudente piorum,  
 Et sacram completere viam violisque rosisque y).  
 Alter erit tum circus, et altera, quae vocet, vrna  
 Delectos Heroas z): erunt etiam altera bella,  
 Proque suis aris non vnum stabit Achilles,  
 Ut clypeo, qualem non commemorauit Homerus a),

## H 2

## Te-

y) De his omnibus, quae quasi delibauimus ex antiquitatibus  
 factorum veteris Romae, auctores illi sunt legendi, qui hoc  
 ipsum argumentum fecerunt suum. De Cybele confer. LIVIVS  
 XXIX. cap. 14. OVID. IIII. fastor. v. 235, et seqq. De via sacra,  
 cuius mentionem facit HORATIVS I. satir. 9. v. 1. epod. IIII.  
 v. 7. item VII. v. 7. praeter FESTVM hac voce, exponunt aucto-  
 res de Romanorum triumpho, quos, magno numero, in medium  
 adduxit excellentissimus DIRECTOR in annotationibus suis ad  
 CELLAR. antiquit. libr. III. cap. 2. §. 4.

z) De vrna, deo certaminum praefidi sacra, ex qua educeban-  
 tur per fortis athletae in ludis certaturi, confer. VALESIVS ad  
 lib. v. cap. 1. historiae ecclesiasticae EVSEBII PAMPHILI.

a) Iliad. XVII. v. 481. seqq. Confer, de scutorum ornatu FEI-  
 THII antiquit. Homer. libr. IIII. cap. 10. §. 4 seqq. Notum vero  
 est litteraria ex historia, quorum scriptis exagitatus fuerit HOMERI  
 clypeus. Vide illustris AYRERI elegantissimam de compar. era-  
 ditio[n]e antiquae ac recentioris, dissertationem, quam ille subiecit  
 ANTONII BLAKWALLI commentationi de praestantia classorum  
 auctorum.



Telorum nubem excipiat, stygiasque cohortes  
 Et caesim et punctim feriat; vel, si DEVS illi  
 Praestituat finem pugnae, metamque laborum;  
 Non dubitet vitam pro CHRISTI laude pacisci.

Sed quid ego miserum stridenti carmen auena  
 Disperdo, aut qualis praecordia concitat ardor?  
 Stat, reuocare gradum, ventoque tumentia vela  
 Colligere, ac paruas ad littora vertere puppes,  
 Ne nouus ignoto mergatur in aquore Ceyx b).

Huc igitur, precibus si mens TVA flectitur ullis,  
 Huc ades, o rerum spes ac tutela mearum,  
 CHRISTE! rudemque almo collustrans lumine mentem,  
 Praebeto votis aures, atque omne firma  
 Non dubio vatem. Stygiis emissa cauernis  
 Tisiphone, scissamque ferens discordia pallam c),  
 Exagitant mentes hominum, Europamque per omnem  
 Semina dispergunt odiorum, et caedis amore  
 Inflammant gentes. Iam, rupto foedere pacis,  
 Dant belli signum, seque exhortantur ad arma,  
 Qui Tamesim Tavumque bibunt, quos nota Viadri  
 Vnda rigat, validoque tegit munimine Nissa d).

Parte alia, stricto fulgentes ense cateruae,  
 Victricesque aquilae, natisque ad praelia fausta  
 Heroas studiis omnes feruentibus oras,  
 Sollicitant miseroque ruunt ad bella tumultu.

Ergo

b) Vid. OVID, libr. XI, metam. v. 410. seqq.

c) VIRGIL, VIII, Aeneid. v. 702.

Et scissa gaudens vadit discordia palla.

d) Imitatus fui hic VIRGIL, libr. VII, Aeneid. v. 712. seqq.



Ergo ad signa volant iuuenes, quos Ister et Albis  
 Cum Rheno pascunt, quos alluit vnda Tibisci,  
 Quosque suas circum ripas vel Multaua cernit,  
 Vel Savus: qui saxa feris non inuia capris  
 Assiduo excutunt venatu, qui que Padusae  
 Rura tenent, Morausque exercent vomere campos e)  
 Et iam fama volat, sociisque ad praelia gentes  
 Incitat, et miscet Germanis lilia signis.  
 Hic tendunt Rhodani cives, hic aggere castra  
 Munire incipiunt Araris Ligerisque cohortes:  
 Illic aere ruunt spumas Salis, atque Britannis  
 Bella mouent, qui Lugdunum, qui tecta Tolosae,  
 Narbonisque colunt: illic vel puluere quassos  
 Disiiciunt muros, vel propugnacula scandunt,  
 Matrona quos misit, quos Sequana, quosque Garumna  
 Signa sequi, et campo docuit concurrere aperto f).  
 Feruet ubique labor, mediasque impune per vrbes  
 Arma strepunt, pulsique pedum tremit excita tellus,  
 Ut, quum fulminei grauidis de nubibus ignes  
 Exsiliuntque, ruuntque: graui concussa fragore  
 Saxa dedere sonum, et siluae intremuere profunda.

Hos inter motus, quis linguae prisca latinae  
 Ornamenta legat? Cicero cum Caesare sordet  
 Intentis ad bellum animis: nec scripta Maronis  
 Nasonisque placent, postquam grauis ingruit horror  
 Armorum, et nostras perturbant classica terras,

H 3

Clas-

e) VIRGILIVM hic ducem sequutus fui, qui libr. XI. Aeneid. v. 457. Padum appellat *piscosum amneum Padusae*. CLAVDIANVS quoque hunc ipsum fluum Padusa stagna vocavit.

f) Imitatus, pro modo virium, sum VIRGIL. VII. Aeneid. v. 725. 739. 797. seqq.



Classica, quae multis indicent funera turmis,  
Et quae IENENSES nollent audire SODALES.

Ergo, si precibus locus est, si vota tuorum  
Pondus habent aliquod; rebus succurrito nostris  
CHRISTE! ac securae concedas otia pacis.  
TV potes hostiles coniungere foedere dextras,  
Et caussas abolere odii, caedique paratos  
Sistere mucrones: TV claudere limina Iani  
Cuncta potes, vigilisque hastam confringere Martis,  
Et mutare togis saga, quae discordia nostro g)  
Inuenit damno: TE regia corda mouente,  
Vltra Sauromatas, atque ultima littora Thules,  
Formido, insidiae, mentisque insana furentis  
Barbaries fugient, ac, mersis aequore bellis,  
Nulla quiescentes terrebit vinea muros.

Fallor; an insolitus media inter nubila splendor  
Emicuit, laetaque caput redimitus oliua  
Descendit caelo genius, pacisque futurae  
Signa dedit, niveis impellens aera pennis b)?  
o CHRISTE! o nostrae princeps auctorque salutis!  
Ominibus faueas, et oborti incendia belli  
Extremam in Scythiam, vicinaue Syrtibus arua,  
Transque Indum Gangemque abigas, vt, Marre fugato,  
Consilia in melius referant, et foedera pacis,

Omnes

g) Nota est formula verborum, qua vtebatur imperator exercitus romani ad bellum profecturus. Hastam enim simulaci Martis commouens dicebat: MARS VIGILA.

b) Christiano ritu exprimere sum conatus omnia splendoris, ac volantis aus, quibus in veterum poëtarum scriptis nihil frequentius.

Omnis percutiant gentes, quae nomina sacris,  
**C H R I S T E!** dedere **T V I S.** Haec si **T I B I** vota probantur,  
 Primus ego (modo larga mihi sit copia fandi)  
 Conabor memori persoluere carmine grates :  
 Primus, Idumaeis ornatus tempora palmis,  
 In templo, quod pacis amans de marmore ponet  
 Victor, tura feram, et spargam pro munere flores,  
 Quos numquam Hybla tulit, quos numquam vidit  
 Hymettus.

Hic ego, dum suspensa tholo donaria miror,  
 Picturamque omnem lustro, **T V A,** **C H R I S T E,** videbo  
 Arma, quibus victae nostro quoque tempore gentes  
 Porrexere herbam *i).* Positis hic Tartarus armis,  
 Hic Persa, et fusco depictus membra colore  
 Maurus, quem Lybicae comitabitur incola terrae,  
**C H R I S T I** facta canent: hic, numina falsa perosus,  
 Fonte sacro tingetur Arabs, melioraque templa  
 Vrbibus in patriis condent, quos Florida nutrit,  
 Quique Magellanae clauduntur finibus orae,  
 Adspiciuntque fretum, pluuium quod spectat in Austrum,  
 Ignatasque plagas *k).* Sed quis me rufus in altum  
 Impetus abripuit? Tutum pete nauita littus,  
 Nullique adsueta pelago subducito cymbam.

At vos! qui fausto Romanam fidere linguam  
 Excolitis, Latiaeque aditum mihi panditis vrbis,

Con-

*i)* *Herbam porrigerere sive dare prouerbium est sermone quotidiano tritum, quo fatemur, nos esse viatos. Origo eius, docente FESTO, repetenda est a pastoribus cursu certantibus, qui superati quum essent, herbam, ex eodem loco statim decerpserant, adversario porrigebant, quoddam quasi cognitae victoriae symbolum.*

*k)* *Quum haec scriberem, ob oculos mihi posui VIRGIL.  
 III. georgi. v. 10. seqq.*




Consulitote boni versus, ac fronte serena  
Accipite adlecti tam vilia dona Sodalis.

**T**vque adeo, cuius se pectore tota vetustas  
Condidit, incultum, WALCHI! non despice vatem,  
Qui tua miratur monumenta, et laudibus effert  
Illas mentis opes, quas pridem tota canebat  
Arcadia, inque suo stupuit Florentia coetu.  
Sic TIBI Romani felicia fata Metelli I)  
Ac Pylios sine nube dies, semperque recentes m)  
Ingenii vires, superis det CHRISFVS ab oris,  
Curus natalem solito celebramus honore.

I) Vid. VELLÉIVS Paterculus 1. cap. 11.

m) Pylii dies, de quibus confer. OVID. V. trist. eleg. 5. v. 62.  
pro Nestore ipso ponuntur, cuius patria erat Pylus, ciuitas vel in  
Messenia, vel, ut alii contendunt, in Triphylia ad Alpheum sita.  
Confer. OVID. I. ex Ponto eleg. 4. v. 10. 11. eleg. 8. V. II. HEROID.  
epist. 1. v. 63. HORAT. I. od. 15. V. 22. 11. od. 9. V. 13.



62.  
in  
ita.  
v  
o  
A  
21  
33  
37  
39  
39  
U



Yc 503.

ULB Halle

006 301 304

3



Vd 18

n. c.



## Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches																		

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



M  
IENENSIS  
VM

LATINA  
S  
ATIONIBVS

ATQVE EDIDIT  
IRECTOR  
ALCHIVS



ANIS